
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

~~234 D 16~~
KW 232 K 15

ALEXANDRI MORI
CALVINVS.
ORATIO

Genevæ habita pro more Academiæ ac Rectoris munere, in qua Vir Ampliſſimus H. GROTIVS *refellitur.*

Acceſſit

CALVINI ad LVTHERVM

Epiſtola nondum edita; cum aliis nonnullis.

Iuxta Exemplar Genevenſe

Apud PHILIPPVM GAMONETVM.
Anno M DC XLVIII.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

12

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Excellentiſſimo Dei ſervo

IACOBO VSSERIO
ARCHIEPISCOPO
ARMACHANO,
totius Hiberniæ Primati

ALEXANDER MORVS
S. D.

D*Iu quæſitum inveni tandem patronum Calvino dignum*, REVERENDISSIME VIR DEI, *nec diu quæſitum inveni tamen* ἈΝΤΊΔΩΡΟΝ *te non indignum, ſi materiam ſpectas, non induſtriam. Nec tam inveni, quàm reperi. Quod enim abſque divina quadam virgula contigiſſe non equidem putaverim, quo die proditura erat in lucem publicam hæc mea, quâ Calvini laudes ac vindicias complexus ſum, oratio, illo ipſo die tuis me li-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

teris beâſti ſumma humanitate conditis, & IGNATIANA à te edita, niſi libri moles obſtitiſſet, eodem tempore miſſurum te fuiſſe ſignificaſti, ac leviculam, quæ tua eſt modeſtia, æſtimatione meâ prorſus auream de veteris Eccleſiæ SYMBOLIS, ne prorſus ἈΣΥ΄ΜΒΟΛΟΣ, ut tu ſcitè loqueris, ad nos ſcilicet accederes, Diatribam literis tuis Diatribæ Iconem tuam comitem adjunxiſti. Nempe nos Epirotæ, qui nec faciem tuam nec te !oquentem (nam ſic quoque meliùs te videndum præbes) vidimus unquam, ne deſideremus expreſſiſſimam effigiem animi tui, calamus tuus effecit, ne digniſſimam ideam oris tui & inſtar, effecit cœlum. Ego certè qui te ſeculi noſtri Athanaſium vocare ſoleo, ΠΕΖῸΝ ΤΟΙ͂Σ ΤΑΠΕΙΝΟΤΈΡΟΥΣ, ὙΨΗΛΌΤΕΡΟΝ ΤΟΙ͂Σ ΜΕΤΒΩΡΟΤΈΡΟΙΞ, ΦΙΔΌΞΕΝΟΝ, ἹΚΈΣΙΟΝ, ἈΠΟΤΡΌΠΑΙΟΝ. Sic de illo veteres, nos de te loquimur, qui juxta cum illo duorum admirabilium lapidum naturam imitaris, & percutientibus Adamas, diſſidentibus Magnes occurris ΤΟΙ͂Σ ΠΑΙΌΥΣΙΝ ἈΔΆΜΑΣ, ΤΟΙ͂Σ ΔῈ ΣΤΑΣΙΆΖΟΥΣΙ ΜΑΓΝΗ͂ΤΙΣ; faciam id ipſum paulò libentiùs, poſteaquàm te novi Ὕ΄ΨΗΛΟΝ ΜῈΝ ΤΟΥ͂Σ ἜΡΓΟΙΣ, ΤΑΠΕΙΝῸΝ ΔῈ ΤΩ͂ ΦΡΟΝΉΜΑΤΙ

ΚΑῚ

ΚΑῚ ΤῊΝ ΜῈΝ ἈΡΕΤῊΝ ἈΠΡΌΣΙΤΟΝ, ΤῊΝ ἘΝΤΥΧΊΑΝ ΔῈ ΚΑῚ ΛΊΑΝ ΕὐΠΡΌΣΙΤΟΝ *ac denique (liceat hoc enim cum cæteris encomium, quod Nazianzenus tribuit Athanaſio, tibi reddere)* ἈΓΓΕΛΙΚῸΝ ΤῸ ΕἾΔΟΣ ἈΓΓΕΛΙΚΏΤΕΡΟΝ ΤῊΝ ΔΙΆΝΟΙΑΝ. *Sed quid rependam? Etſi nec tua ſors deſiderat redhoſtiendi vicem, nec mea ſuppeditat remunerandi facultatem, accipe tamen obſervantiæ in te meæ ſymbolum, ſed benigno & qualem tua præfert vultu à me delineatam imaginem Calvini, quæ, niſi fallor, identidem oſtendet tibi te. Quas enim laudes ille meruit, cum apicibus veſtris propè major libenter carendo exſtitit, pariter ii merentur, qui quo celſiori honoris faſtigio ſupra cæteros mortales eminent, eo majori virtutum beneficio Eccleſiæ commodant, & Solis inſtar lucent, ut proſint. Neque verò ſummis dignitatibus ad privatas utilitates aut ſeculi typhum abutuntur, nec Dominationem in Chriſti gregem uſurpant, quod Petrus interdixit, Petrus ille, cujus intereà ſucceſſores profitentur, qui doctrinam reſpuunt.* VSSERIVS *profectò adeò nihil tale molitur, ut aurea Eccleſiæ tempora nobis referat, nec infra ſe quicquam putet, quod ad ædificationem fidelium, quibus Angeli miniſtrant & Archangeli, pertineat. Sic eſt,*

Vir maxime: Quacunque viâ nobis occurris ingens, nunquam tamen ingentior, quàm cum ex illa, in qua te Deus collocavit ſublimi ſpecula deſcendis ad Paſtoritiæ curæ laborioſa munia, ut propiùs afflictis opem feras, & commodiùs innaſcentem agro Domini horrendam filicem ac infelix lolium avellas. Non te majorem unquam ipſa ſedes Armachana vidit rebus florentibus, quàm nunc Londinum in mediis ærumnis, quas infularum loco habes. Tanti penè fuit ſua Præſulibus decora & opes adimi, ut nobis hoc æquabilis in utraque ſorte animi ſpecimen proderes. Multò minùs debes dignitatis tuæ culmini, quàm tua dignitas virtutum tuarum cœleſtium ſplendori. Sed inter omnes virtutes tuas iſta præcipuè micat animi moderatio, dicam, an magnitudo, quâ dum te nimio plus demittis, longè altiùs aſſurgis, quàm faſtu & pompâ tot alii toto paſſim orbe,

Quos tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru.

Multum profectò Eccleſiæ dederas, quamvis nihil ei dediſſes præter exemplum. Quamvis nec viro Apoſtolico dignarum Concionum frequentia, nec ſcriptorum non æſtimanda utilitate cis & ultra Oceanum nobis & Poſteris profuiſſes, quamvis nec errorum novitatem ac veritatis antiquitatem fortiter aſſeruiſſes, nec tot veteris Eccleſiæ theſauros feliciſſimâ eruiſ-

ſes induſtriâ, quamvis nec opus illud idiomate patrio dediſ-
ſes nuper à nobis avidè luſtratum, quo Theologiæ Summam, ſed quàm illuſtri brevitate, quàm nervoſa ſimplicitate! complexus es, quamvis nec tuum pectus foret bibliotheca ſpirans, nec bibliotheca tua muſeum obambulans, ut vetus dictum detorqueam: quidni enim obambulat, cujus pretioſa ſupellex tam ſæpe mare tranat, & eruditis totius orbis Europæi veteris ævi memorias, & Orientis opes tam effusè dilargitur, ut œcumenica ſuo quodam jure dici mereatur? mirari tamen oporteret, ut nihil eſſet in te aliud, extremam in ſupremo dignitatis & eruditionis faſtigio modeſtiam. Nam cùm hæ duæ res licet ſingulæ, licet modicæ, ſui plenos & veſanos homines reddere ſoleant, dignitas & eruditio, meritò ſtupemus in te felici nexu copulatas atque ad ſummum perductas nihil ex illa divina tua virtute delibare: humilitatem dico, quæ tametſi repugnante apud Latinos vocabulo virtutum omnium apud Chriſtianos altiſſima eſt; ſed cùm hæc ipſa virtus plura dicere nos vetat: laudes enim ſpernit, quibus non eſt ullum aliis acroama jucundius: tum epiſtolæ modus tuas non capit. Voto finienda præfatio eſt: Deus immortalis Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti Eccleſiæ ſuæ laboranti velut è cœli machina

china

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

china opportuno tempore ſuccurrat. Inſulis veſtris Fortunatarum elogium & Alcyonia reddat, adeoque te perdiù rebus afflictis grande ſolatium intereſſe patiatur. Sera ſit & noſtris demum nota nepotibus dies, quæ cœlo tradat, quo mundus non eſt dignus, VSSERIVM. *Hic ſemper ſit Britanniæ, quod Auguſtinus Hipponi, nec illa unquam ſicut hæc olim Præſulem ademptum ſentiat. Vale, maximum Britanniæ Decus, & à nobis oblatum non illibenter ſuſcipe Genevæ Decus maximum. E muſeo meo* III. *Non. Iul. An. vulgaris Æræ Chriſtianæ* MDCXLVIII.

CAL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

CALVINVS.

AMPLISSIMI *Viri*, PATRES CONSCRIPTI, *Tuque Illuſtriſſime Comes* LORNÆ, *Marchionis* ARGATHELIÆ *maximi Herois Fili natu maxime, cujus auſpicatiſſima indoles in hac ætatis lætitia feliciter effloreſcens quaſi novum Scotiæ lumen exoritur, ac ut breviter amplectar omnia, Parentem reddit: Generoſi Barones, totque omnium propè gentium non minùs virtute quàm nobilitate inſignes Viri, quos Genevam pietatis aut literarum amor adduxit, Reverendi Fratres, Clariſſimi Collegæ, amantiſſimi Patriæ cives omnium Ordinum, Voſque Iuvenes mei (Vos enim hodierno potiſſimùm die dico meos.)*

QVemadmodum Sol ille adſpectabilis exortu ſuo minora ſydera, quibus noctu cœleſtia templa collucebant, ſubmovet ac extinguit: quæ tamen abſente illo veluti ſuccenturiata minutum, ſed multiplex jucundumque nobis lumen impertiuntur, quod ex illo trahunt: ita Sol Iuſtitiæ, qui non corporis oculis uſurpatur, ſed una fide conſpicitur, exigua Sanctorum luminaria quibus Eccleſia in terris colluſtratur, infinito gloriæ ſuæ fulgore abigit, excludit, atque à toto cœlo jubet faceſſere, non quòd eſſe in cœlo deſinant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſed quòd præſente illo jam non appareant: Sol ille ſolus regnat in illo die: ſuus tamen piis hominibus locus in hac nocte, quibuſdam veluti ſtellis, relinquitur, quas facem nobis præferentes ac iter cœli commonſtrantes noſtrum eſt in hoc ſeculo diligenter intueri, caveamus modò ne cum Sole coram quo fatiſcunt, evaneſcunt, nullæ ſunt, in conſortium vocentur: memoreſque ſimus quicquid homines luminis ac flammæ ſortiuntur, ab æterno Sole delibatum ac mutuatitium ſortiri, neque tam in divinis hominibus homines quàm Deum intelligamus. Quod hodierno in primis die admonere debui, quo lucidum ſydus cujus exortu POST TENEBRAS LVX emicuit contemplari ſedet animo: Geſta Dei per IOHANNEM CALVINVM piæ recordationis hominem dicere aggredior, & eidem Apologeticum paro. Adeſte animis, qui corporibus adeſtis, quæſo precorque (Viri Genevenſes) quando de rebus veſtris, ac vos etiam obſecro ac obteſtor (Nobiliſſimi hoſpites) quando de rebus à Deo geſtis oraturus acceſſi.

Te verò primùm & ante omnia ritè veneror, ac ſupplex rogo, Cœleſtis Pater, cujus agimus cauſam, & opera collaudamus, in hâc Panegyri, hoc ſolemni die, ſi bene tuus ille ſervus atque utiliter hanc Eccleſiam conſtituit, rexit, adminiſtravit, nec alio quàm tuæ Veritatis reſpectu loquutus eſt aut ſcripſit, ut mihi verba illius verbis non diſſimilia, factorumque tuorum numini reſpondens contin-

gat

gat oratio, tantumque abſit ab omni amplificationis aut coloris quæſiti ſpecie, quantùm abeſt à neceſſitate. Tuque adeò Chriſte Optime Maxime, qui talem Virum difficillimis Eccleſiæ temporibus commodaſti, ades nobis eum defendentibus, quem tui Nominis defenſorem habere voluiſti. Tu Sancte Sanctorum ſolus ora pro nobis, & Patrem tuum exora, qui ſolus potes, ut quo Spiritu ad commemorandas Viri laudes impellimur, eodem ad exprimendas vitâ magis quàm oratione virtutes accendamur.

Quæ bona verba ſic præivimus, Auditores, tum quòd aptum piumque ſit hoc præſertim loco dicere incipientem unum Deum in unius Chriſti nomine conceptiſſimis verbis precari, tùm ne quis fortè nos, dum benedictam Calvini memoriam commendamus filiis noſtris, & ab impuris hoſtium contumeliis vindicamus, hoc agere putet, aut etiamſi non putet, (quod eſt ingenium calumniæ) tamen hoc agere nos dicat, ut ei quandam velut Apotheoſin meditemur. Non Divum Calvinum facimus, non ei ſupplicia Pontificio ritu, non vota, quæ ſoli debentur Deo, nuncupamus: non quemadmodum Vir magnus quidam ævo noſtro, ſed ad facetias & jocos natura pronior, poſtquam ea quæ ſunt à Socrate dicta & cogitata, præclarè protuliſſet in medium, parùm abeſt, quin exclamem, inquit, Sancte Socrates, ora pro nobis: non ſic apud nos fas unquam fuerit, ne per jocum quidem, Divinis & non ſuis homines in cœlum vexare laudibus. Turpe illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ornari de ſacrilegio, turpe nobis Deo facere injuriam, ut in homines ingrati animi defugiamus notam, Dominoque ſuffurari, quod prodactum in ſervos malè pereat, & hactenus paranymphis abblandiri, ut ad eos fidem amoremque ſuum deferre ſponſa non erubeſcat. Non ſi vel ipſe Religionis corruptæ vindex ac reparator, de quo dicturi ſumus, vel Angelus è cœlo Sanctos aut Angelos religioſè coli præciperet aliud à nobis, quàm pro divinis honoribus, Anathema reportaret. At illa quidem jam cœlo recepta Calvini anima ſeſe dat uni Deo, cujus obtutu defixa nihil deſpicit, cujus in ſinu beata nihil dolet,

Buchananus.

——— puróque videns in lumine purum
Lumen, & infuſi ſatiatus numinis hauſtu
Exigit æternam ſine ſollicitudine vitam,

hos enim Poëtæ maximi verſus ex ejus in Calvinum Epicedio uſurpare mihi liceat: nec, inquam, curis noſtris tangitur, nec ſi tangeretur, aliquid ad ejus aures moleſtius accideret, qui tot laboribus atque vigiliis cultum iis hominibus deferri ſolitum, quos Roma minorum gentium Deos fecerat, emendavit, ad Chriſtumque retulit, quàm ſi nos verè ſanctam ipſius doctrinam pertæſos acciperet in priſtinam ſuperſtitionem relabi, adeóque ipſi quantumvis etiamnum in ſcriptis reclamanti quaſi Dei parario importunum obſequii genus obtrudere, ac ejus patrocinio atque tutelæ nos & res noſtras omnes committere, quod abſit, abſit omnino. Verùm & illud ſæpenumero mihi venit in men-

in mentem, non ſi Servatori noſtro ſocios ac veluti collegas addere viros de nobis optimè meritos nefas exiſtimamus, continuò committendum eſſe, ut eorum nomen poſteritas oblivioni tradat ſempiternæ, adeóque noſtra hæc ætas, quæ laboribus eorum tanquam hæreditate luculenta perfruitur, ſilentio prætermittat, & nulla vel frigida commemoratione proſequatur. Quocirca magnoperè vos adhortor, ut quà licet & fas eſt, vivat in pectore veſtro, gliſcat in veſtro ſinu, novis quotidie plauſibus in Schola ornetur, ſpiret adhuc in medio Senatu, in Eccleſia foveatur, vigeat in animis noſtrorum civium, juventutis noſtræ cordibus hæreat, victrix volitet per ora cunctarum gentium, permanet ad ultimos nepotes, ac immortali cum laude ſua traducatur benedicta viri memoria, quo nullum Deus unquam præſtabiliorem virum Genevatibus conceſſit: Nec illi tamen ullam in foro majores veſtri ſtatuam poſuerunt, nec ullam in hoc Templo ædiculam honoris cauſa dedicârunt, neque Mauſolæum neque cippum exſtruxerunt, & adeò non magnos præſenti honores largiti ſunt, etiam oſſa defuncti vulgari conditorio, ut noſcitari nequeat locus, abſque ullo ſuperficio, ſub viridi ceſpite commendârunt. Scilicet hoc in animum induxerant ſapientiſſimi mortales, magnam & inſolitam virtutem, quæ corpus ipſa ſuum conſecrat, ut cum veteribus loquar, exotico facilè carere ornatu, illudque demum eſſe idoneum virtutis præmium, non quod ſubſtructionibus mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

moreis, & inanibus pomparum ferculis continetur; verùm quod pia mentium & nunquam intermoritura veneratione propagatur. Quamobrem non ea in Calvinum, quæ ſolent in alios ab aliis ambitioſè prodigi, ornamenta contulerunt, non modò quia ipſe nequid ab iis tale deſignaretur interceſſit, verùm etiam quia nos in quandam veluti ſempiternæ gratitudinis neceſſitatem conjicere voluerunt: Nam cùm huic viro cætera negata ſint omnia, quibus ingentia merita penſari ſolent, non ea modò quæ fœda illa ſanctorum adulatrix, humanarum mentium ludibrium ſuperſtitio machinatur, ſed ea etiam quæcunque fragilis & laborioſa mortalitas in obitu virorum illuſtrium publici doloris monimenta inutili ſed innocuo ritu conſtituit, ecquis nos hominum ingratiſſimos, hoc eſt, turpiſſimos, eſſe negaverit, niſi benefactorum certè conſcientiam privatâ publicâque memoriâ conteſtaremur? Interea hoc velimus apud ſe quiſque ſtatuat, optimum laudandi genus eſſe, imitari quem laudas: ut omnes qui hodiernam dictionem audiunt, virum Dei quem dicimus, & animo quadamtenus imaginentur & vitâ reddant, adeóque non in Calvini exemplo hæreat, ſed in exemplar Domini, cui tota debetur, tota in ſolidum prædicationis noſtræ gloria refundatur. Quòd ſi non aliam cauſſam inſtituti hujuſce noſtri adducere poſſemus, omninò ſufficiebant eæ quas adduximus: At inſuper cùm non ita pridem licuerit HVGONI GROTIO excultiſſimi viro ingenii,

ſed ancipitis in religione ſententiæ,ut nihil gravius dicam, cùjus ex morte plus Reſpubl. literaria detrimenti ceperit, an emolumenti Eccleſia difficillimum eſt arbitrari, Calvini ſollicitare manes inclementibus verbis,& maledicta ſua non modò diſſerere privatim, ſed etiam cum ſuis annotatis ad Euangelia (parùm Euangelicum profectò facinus) poſteris prodere, quis nobis vitio vertat, ſi novas iſtius & aliorum calumnias novo inſtituimus Apologetico depellere? in hoc præſertim ampliſſimo ad dicendum loco, his Academiæ noſtræ ſolemnibus, cui Calvinus ille tam feliciter præfuit, cujus & Rector ad clavum ſedebat, quo anno tot tempeſtatibus actus, (quid enim tota ejus vita niſi tempeſtas veluti quædam perpetua fuit?) ad æternæ felicitatis portum appulit. Sed antequam ea quæ ſunt ab oſoribus tam venerandi nominis impacta diluo, rudi primùm adumbrare penicillo virtutes viri (nam quis exprimere valeat pro dignitate?) conſtitui. Ac ut primò de iis dicam dotibus, quibus Theologi caput inſtruitur, ac mens divinior exornatur (ad ea venturus poſtmodum quibus pectus benè præparatur, quæque ad vitam & mores potiſſimùm pertinent) cum hiſce tribus ferè partibus homo Theologus abſolvatur, ſublimi rerum ſacrarum notitia, tùm apto cœleſtibus myſteriis eloquio, ac demùm pervicaci labore ac indefeſſa diligentia, tria hæc in Theologo noſtro, quæ vix hodiè ſingula cernuntur, demonſtrare ingredior, ita fuiſſe conjuncta, ut eminuerint omnia, neque facile dictu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſit, qua potiſſimum ex parte major divinæ munificentiæ gratia debeatur. Theologum autem cùm dico, non qualem Roma creat, non qualem vulgus miratur pædagogum Euangelicum, & per indices modò ſapientem rhapſodum intelligo, qui mente parùm, parùm corde, at memoriâ & linguâ cùm poſſit plurimùm, Theologorum Alpha ſibi videtur: illum volo, qui ſe ſibi vindicat, qui totus Deo vacat, qui curis humanis altiùs caput exſertat, qui Chriſtum pectore, Chriſtum ore, Chriſtum opere ſpirat, qui ſemper Dei oracula, non quæſtiones frigidas meditatur: In hoc tria illa, quæ commemoravi, præſidia concurrant oportet, quod interea ſic rarò uſu venit, ut abunde putemus amplum atque magnificum, quoties unum eorum aut alterum excellenti gradu cœlitùs conſpicitur indultum. Scilicet qui magno nixu mentis ad contemplationem aſſurgunt, infra ſe putant verborum apices conſectari, & poſtquam in altos nubium tractus aquilarum inſtar ſubvolârunt, hinc ægrè ad captandas, quod ajunt, muſcas detrahi ſeſe patiuntur. Itaque non modò inculta & hirta, ſed ipſo pænè timenda ſono vocabula interdum explodunt, & propter quæ vadimonium deſeratur. Laudare poſſumus Iuriſconſultos, Medicos laudare poſſumus, alioſque bene multos, vel qui principes artium exſtitere nobis, vel qui eas mira ſubtilitate ac incredibili diligentia tractarunt, qui tamen oratione uti non modò incomta & inornata ſuſtinuerunt, ſed etiam ſordida prorſus & inquinata: Verùm quia nunc

de

de Theologis quæritur, ne Patres afferamus,quorum quotusquisque latinè loquitur? Magiſtrum & Scholaſticos mihi vide, quos barbaries ita delectat, ut linguæ cultum inter impedimenta bonæ mentis recenſeant, cumque demum in ſtudio Sapientiæ pulchrè profeciſſe arbitrentur, cui valdè diſplicere Tullius inceperit: cùm ex adverſo fatendum ſit,eos,qui ſermonis paulò nitidioris curâ nimium detinentur, intereà rerum ipſarum jacturam facere, pluresque flores & folia quàm fructus univerſum illud dicendi genus elaboratum nobis producere. Calvinus autem ita feliciter utrumque implevit, ut in alterutro tantùm laboraſſe videatur: ita rerum cœleſtium ſanctiora nos docuit arcana, ut in iis totum fuiſſe dixeris, idque tam luculenta & facundiæ cujusdam divinioris plena oratione perfecit,ut nihil emendatius ævo noſtro publicum acceperit. Verba cùm ſpecto, de verbis unicè ſollicitum fuiſſe judico; cùm res intueor, ita rebus addictum fuiſſe, ut verba neglexerit, propè ſuſpicor, cùm omnia perſpicio, bina hæc in eo ſumma reperio, quæ bina tametſi forent mediocria,eademque ſingula, ſi modò ſumma forent, idoneum ejuſmodi rerum exiſtimatorem admirabilitate ſua percellerent. Iam verò cùm ii ferè omnes quibus contigit acre ingenium,& mentis ex alto delibatæ igneus vigor, impatientes ac fugitantes laboris eſſe ſoleant, limæque morâ offendantur, cùm tamen ſpatii multum eorum commentatio requirat, qui ſimul Veritatem altiſſimè ſcrutantur, ſimul ſermonis cu-

ram ſuſcipiunt: Calvini efficax ingenium, quod propterea
Davila. MAGNVM ſed INQVIETVM ei fuiſſe, Italus Gallicarum rerum ſcriptor memoriæ prodidit (ſanè inquietum! ſed inſtar Pauli, quem noctes ac dies omnium Eccleſiarum cura rodensque zelus veluti coquebat) efficax, inquam, illud ingenium, adeò ſtupendam ac propemodum incredibilem diligentiam & intentionem adhibuit, in penitiſſimo rerum æternarum contemplatu, in tam ſollicito verborum & characteris delectu, tam brevi ſpatio tot partus edidit, ut jam properaſſe tantùm, neque veritatem altiſſimè ſcrutatus, nec ullam ſermonis curam ſuſcepiſſe videatur. Ac de ſingulis ut jam dicamus, primùm illa ſublimis rerum ſacrarum notitia nos advertit, quam ei Deus Opt. Max. non immediato quidem, ut Apoſtolis quondam ſuis, afflatu, ſed uberrimâ profectò & inuſitatâ, illo præſertim rerum cardine, Spiritûs gratiâ indulſit. Nam quis non miretur, illis temporibus, cùm teterrima ignorantiæ caligo terris incubaret, hunc hominem certiſſima Dei voluntate ac beneficio ad illuſtrandum ſeculum exſtitiſſe? quis non miretur, ea tempeſtate, quâ tenues modò ſtricturas lucis Eccleſia uſurpaverat, eum tam ſubitò tantam rerum cœleſtium cognitionem adeptum eſſe, quâ non tantùm hos colles, atque hoc cœlum ſub quo degimus beavit, & Solem huic Reip. ſalemque ſuum reddidit; ſed etiam ætatem inſignivit, & remotiſſimis, quà patet orbis, gentibus Euangelium patefecit? quis denique non miretur eum ſalutarem

lutarem ſcientiam, quæ disjecta huc & illuc, & inſtar Virbii membrorum hactenus diſſipata fuerat, ſub unum veluti corpus redegiſſe, ſuum ei colorem jam penitùs eluminatum induxiſſe, nervos & ſanguinem & ſuccum reddidiſſe, vitam denique ipſam & ſpiritum afflaviſſe? Quod equidem cùm dico, vobis omnibus notum eſſe, loqui me potiſſimùm de libro INSTITVTIONIS Chriſtianæ, opere immortali, facilè intelligo, cujus operæ pretium ac dignitas etſi ab omnibus olim agnoſcitur, adeò ut nihil pretioſius ab Apoſtolorum ævo ad hoc uſque literis & memoriæ mandatum eſſe perhibeatur, ac trito feratur diſticho, nuper tamen idipſum Vir illuſtris, CLAVDIVS SALMASIVS, quem honoris causâ nomino, authoritate ſua firmatum voluit, cùm in aureo contra Grotium libello, malle ſe dixit, optio ſi detur, vel hoc unum Inſtitutionis opus, quàm quæcunque ſunt à Grotio ſcripta, ſcripſiſſe: Quæ vox quanti facienda ſit, non ignorant, qui Salmaſium intelligunt,

---------- cujus ſe pectore tota vetuſtas.
Condidit, & major collectis viribus exit.

Quòd ſi præterea germanam illam & velut ex manali fonte ſalientem Scripturæ interpretationem, quam ita Calvinus fecit, ut eodem quo illæ conſignatæ ſunt ſpiritu, eum inferiore gradu, ſed fuiſſe conductum appareat, paulò accuratiùs perpendimus, neminem ſecundùm Apoſtolos, ante illum, poſt illum reperimus omninò fuiſſe neminem,

qui vel cum eo contendi poſſit, vel ſi contenditur non longo intervallo ſuperetur: Hujus enim admirationi ne hoc quidem obſtat, quod noſtro ſeculo vixit: Nec mihi jam Chryſoſtomos, nec Auguſtinos objiciant ii, quos recentium incurioſos vetera tantùm juvat extollere: Nam illi profectò ſi viverent, humeris quidem impoſitum ſuis Calvinum, ſed vidiſſe multò plura in Sacris Literis, & monſtraſſe multò liquidiùs agnoſcerent. Supra rem nihil adſtruimus: illud modò quod eſt in veterum illorum Patrum antiquitate ſpecioſum, illud nomenclaturæ AVREVM & AVGVSTVM ſeponite: nec in illo Iohanne oris aurei quicquam deprehendetis, quod non in hoc noſtro refulgeat, nec in Aurelio Auguſtino ſuſpicietis aurei vel auguſti quicquam, quod non familiaris ejus Calvinus vobis cum fœnore ingenti reddat ac repræſentet. Nunc equidem quàm illi multa & gravia peccârint, non inquiro, nec in eorum lapſus (ne quid inclementius dicam) & fruſtrationes animadverto: Patrum vel nomen tale aliquid meditantes abſtineat, quominùs eorum partes eas retegamus, quæ meliùs teguntur: Patres Eccleſiæ dicantur (quod ego ſanctiſſimis alioqui Martyribus elogium attribuere ſoleo) ſummo in honore ac dignatione habeantur, nihil enim impedio: tantùm hoc vincere allaboro, ſi per excellentem ſeculi perverſitatem liceat, Calvinum illorum laboribus maximis adjutum, quod libenter confitemur; non tamen eorum perpetuò veſtigia ſequutum, quia perpetuò

Scriptu-

Scripturæ ſequebatur filum, illis tamen (abſit invidia dicto, non autem aberit, ſed abſit vel rumpatur) in vera Scripturarum intelligentia, quæ rerum eſt maxima, majorem ac ſuperiorem fuiſſe. Quod ſi quis nos temporis cauſâ dicere ad gratiam exiſtimet, ſumat in manus codices, in rem præſentem veniat, Pſalmos enarravit Chryſoſtomus, enarravit & Auguſtinus: Calvinus in eos etiam commentarium evigilavit: Legantur in numerum, invicem comparentur, in quodvis pignus vocare audeo, Judicibus etiam iis, qui toti ab antiquitate pendent, ſi quid ſupereſt ingenui ſanguinis; vel ſi modò Calvinum eſſe tertium illum ignorent, fore ut primum renuntient, ac ſolam ejus in Pſalmos præfationem nunquam ſatis laudatam, ſolidis aliorum lucubrationibus anteponant. Quem mihi dabis ex univerſo Patrum choro, qui tam religioſa fide, tam æquabili gravitate, tam facili vena, tam integro candore, tam caſto ſpiritu, procul ab omni fuco, procul ab omni ſtudio, cujus tamen cauſas procul non habuit, Scripturarum libros omnes à primo od ſummum elucidaverit? Ad ſummum dico, nec Apocalypſin excipio, quam non attigit, quia non attingendo pulcherrimum in eam commentarium dedit. Quòd autem Chryſoſtomum & Auguſtinum duo præluſtria Eccleſiæ, alterum Græcæ, alterum Latinæ, lumina, neque plures adduxi, non quòd Hieronymus exciderit mihi memoriâ, ſed eo feci, quòd illorum apud pleroſque tanta eſt authoritas atque dignatio, ut qui ſuperiorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

illis Calvinum oſtendero, idem oſtendero, parem non habuiſſe, ac Dei quaſi virgulâ deploratiſſimis Eccleſiæ temporibus excitatum fuiſſe, qui horrendæ nocti lucem admirabilem inferret, ac pro modo caliginis prorſus inuſitatæ, inuſitati quoque ſplendoris facem accenderet. Nam ſi præterita ſive Chryſoſtomi, ſive Auguſtini & Hieronymi, ſive aliorum ſecula, licet ipſa quoque ſuis interdum nebulis horrentia, nunquam tamen ſimiles tenebras viderant, ut eæ fuerunt, quas majorum noſtrorum memoria, Satan ille generis noſtri oſor implacabilis fœda & plusquam Gothica barbarie non modò ingenuis artibus, verùm etiam Chriſtianæ pietati offuderat, cùm pro ſalutari cœleſtis doctrinæ pabulo religionis antiſtites, aut meliùs ut dicam inſtitores, neſcio quas philoſophias pro ſuggeſtu populis venditarent, cùm nihil uſquam eſſet adeò ſanctum atque inviolabile, quod non ſuperſtitio, Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum vitiaret, pollueret, adulteraret, annon dignum erat ſapientiſſimâ Dei providentiâ, ut non impar huic atroci morbo remedium adhiberet, quale non retrò ſecula conſpexerant lumen terris oſtendere, ac in Calvino, quem fuiſſe lumen ipſum non dicimus, quaſi ſuper aureo lychnio repoſitum ſtatuere, atque hinc tanquam è ſpecula jactatæ procellis ac turbinibus naviculæ Chriſti quandam veluti pharum prætendere? Quod intereà ſic nolimus accipi quaſi non ſuos & aliæ gentes protulerint Heroas, qui pro ſe quisque

arduum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

arduum ſed neceſſarium reformandæ in melius Eccleſiæ conſilium agitârunt, quorum in cenſu non primum, non ſolum, ſed præcipuum Calvinum ponimus: Quis neſcit, quos Helvetia, quos Britannia Dei viros dederit, aut quis illum ignorat, cujus ductu & auſpiciis Germania Romani Præſulis jugum excuſſit? qui princeps omnium Spiritu Eliæ armatus auſu planè divino contra fœdam Eccleſiæ nundinationem ac cætera id genus carcinomata non tam verba fecit, quàm tonitrua jactavit & fulgura, & ſalutaria per totum orbem incendia miſcuit. Ne Deus autem ſîrit, ut per ullum dedecus Lutheri, Pancratiaſtæ illius indomiti, graſſemur ad Calvini laudationem inſtruendam, cùm præſertim Calvinus ipſe, dum viveret, nunquam niſi honorificè de Luthero ſentiret ac ſcriberet, quod ſi jam edita ſcripta minùs conteſtarentur, hactenus in edita Calvini ad Lutherum Epiſtola (penes nos eſt ipſius Calvini manus) apertiſſimè demonſtraret. Non igitur Lutherum dicemus præ ſumma & inſuperabili animi magnitudine paulò liberiùs interdum ferri, nec eum dicemus non omnes adverſarios æquè magnificè ac Eraſmum in liberrima de Servo Arbitrio diſputatione profligaſſe: at nec ita feliciter omnes Scripturæ libros ut epiſtolam ad Galatas, in qua profectò triumphavit, enarraviſſe: non ei multa de ſuo candidam & cœleſtem (ſolo nomine repugnante) Melanchtonis animam ſuffeciſſe: non alia multa proferemus in medium, quæ ſi non viri laudes obſcurare, nonnihil tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ex earum deruere cumulo viderentur. Sua illi maneat illibata laus in memoria hominum, cui merces ampliſſima laboris eſt apud Deum conſtituta: hoc unum aſſeveratè pronuntiare non dubito, Inſtitutionem Calvini & commentarios in utriusque Teſtamenti tabulas à nullo ad hunc uſque diem ſcriptore coæquari potuiſſe. Nunc autem id mihi negotii dari non exiſtimo, ut hodiernos tractatores hoc loco ſubmoveam, qui profectò niſi quantum ſimilitudinis ex illo trahunt, parùm opis atque præſidii noſtris videntur literis attuliſſe. Nos infantes, nós nani præ illo ſumus quamquam & ſyllogiſmos ex arte fingimus, & paralogiſmos & elenchos patefacimus, & per umbraticas velitationum formulas auguſtiſſima myſteria vexamus, tanquam non in Dei Sacrario, ſed in Lycæo verſaremur. Quòd ſi tantùm in ludo & palæſtra pædagogico ritu factitiis nomenclaturis uteremur, ferenda utique res erat, quia ludicra erat meditatio: ſed eaſdem ampullas & vocum ludibria, & canoras nugas in Theologiæ quaſi venas & viſcera trajicere, non jam in umbra, ſed in Sole ac pulvere, ubi ſeriò dimicandum, adhuc cæſtibus ac rudibus batuere, crudas & jejunas præceptiones in Eccleſiam propellere, adeóque in elucubratis & majoris abollæ operibus totas formulis, quæ Paulo & Calvino minimè placuerunt, paginas infercire, quod Pontificiis eſt ſolemne, non eſt, hoc mihi crede, non eſt pro tua dignitate, Vir Dei. Multi quidem graviſſimi ſcriptores, non meliùs adverſarios revinci

vinci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

vinci poſſe autumant, quàm ſi cum iis gnaviter, nec paucis cum Neoptolemo philoſophemur: Sed fruantur illi perſuaſione ſua, quos hic profectò nolimus tangere, nos autem patiantur mirari Calvinum & eos omnes qui tanto authore cœleſtem Sapientiam, quæ caſtè ſanctéque haberi vult, indecoro Scholæ pulvere turpari modicè non ferunt: hos nobis liceat Eccleſiæ gratulari, hos liceat ſuſpicere, hos tanquam veræ Theologiæ ſtatores vindiceſque complecti; non tamen dicam ſcribimus alteris, quos ut captus eſt noſter, etiam interdum æmulamur: ipſi nos, qui miramur Calvinum, non aſſequimur: ipſi nos, qui Scholæ moleſta gloſſemata faſtidimus, quoties in Schola verſamur, adhibemus, quando trium literarum tyrannus ille Mos ita jubet, non dilemmata, non Enthymemata, non ſoritas, non proſyllogiſmos, & ſi quæ talia nimium aſpernamur, ſed ut artis eſt diſſolvimus, quod artificium totum Calvinus non neſcivit, ſed judicio ſprevit. Nunquam diſtincta majore vel minore, nunquam inſtituto ſyllogiſmo, tamen ac res adverſarios candido veritatis tractatu coërcuit, ſtrophas eorum technaſque citra vocabula technica diluit, nec vepribus illis totus horridus, uno & unico Dei verbo ſuccinctus.

——— per obſtantes catervas

Explicuit ſua victor arma.

Nunquam eloquia Dei philoſophiæ humanæ quibusdam veluti næniis intercalaribus dehoneſtavit, nunquam Dei magnalia quæ grallatis vocabulis non indigent, vi ſua ni-

tuntur, & omnem intellectum tranſcendunt, in categoricum ordinem coëgit: nunquam ita ſe comparavit, ut ille trico, qui publicè dicturus, ut eſſet commodior, & auditorum intentionem captaret ſcilicet, incipere ſeſe ac Exordium aggredi prædixit, quo peracto ſeſe ad narrationem gradum feciſſe admonuit, neque verò priùs narrationem abſolvit, quàm ſeſe abſolutâ narratione deveniſſe ad confirmationem conceptis verbis aperuit, ac demum valere juſſa confirmatione, veniamus, inquit, ad Epilogum. Qui profectò ſi nomen oratoris non bene tuetur, ſacrum Theologi nomen quo tandem pacto merebitur, qui vernilem famularum cinctum & veſtitum Dominæ adjicit, ac velut ſuum accommodare nititur? O feſtivum hominum genus! qui pro concione ad populum præmiſſas, & concluſionem crepant: Major eſt manifeſta; Minor probatur, inquiunt, quod rudis populus cúm exaudit, minorennes ac pupillos cogitatat, deque tutore aut curatore nonnihil ſequuturum exſpectat. Quid ſi cum filio Pater, cum ægro Medicus, cum exercitu Imperator, aut Senator in curia ita loquerentur, ut cogitata ſua omnia in anguſtias illiberalium regularum cogerent, aut per quoſdam veluti præceptionum anfractus diducerent, non pipulo differrentur? Cur igitur hoc ipſum Calvinus faceret, cujus in Eccleſia, pro eo ac eſſe debuit, longè maxima fuit authoritas? Alii Severum imitentur, qui ſuo in larario cùm varias imagines collocaret, Chriſtum philoſophis permixtum voluit,

alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

alii ex Platone Moſem, ac ex Ariſtotele Paulum interpretentur, alii denique vim offerant Prophetis, & injiciant compedes Apoſtolis, dum ex eorum ſcriptis Thomæ aut Scoti ritus excudunt,& argumenta neſcio quæ machinantur, de quibus viri Sancti ne per nebulam quidem cogitârunt: Calvinus intereà,ſive Sophiſtas refellit, ſive Dei cauſam defendit, ſeu Chriſtianum inſtituit, ſeu Sacrarum literarum interpretationem facit, amolitur hæc impedimenta, & calonibus relinquit. Sed hactenus ea modò attigimus, ex quibus proprii nominis Theologum informare poſſimus: nunc ad alia mea provehitur oratio, ex quibus utilitas in omnes qui literas adamant, hoc eſt in omnes quos intueor,non exigua perveniet. Nunc enim de Calvini charactere dicendum nobis eſt, ac elocutione, cujus ea eſt dignitas, &, audeo dicere, majeſtas,ut ii etiam qui Calvinianam hæreſin (hoc enim vocabulo Chriſtiana veritas jam pridem ornatur) penitùs averſantur, ii tamen, ſi qui ſunt paulò celſioris conſcientiæ, apud Calvinum Romani nominis hoſtem acerrimum, Romani ſermonis puritatem integerrimam, & Auguſtæo ſeculo dignam exoſculentur. Atque hinc adeò factum eſt, ut qui vim veritatis quam patefecit,nolunt agnoſcere,divinum illud & cœleſte,quo non modò hanc civitatem Chriſti ſub jugum miſit,ſed alias etiam gentes ac populos ad puriorem Numinis cultum traduxit non Deo, ut oportuit, ſed eloquio & facundiæ adſcribant, qua plurimum potuerit. Quod ille quamvis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Pontificiæ glebæ adſcriptitius rotundè prodidit, cùm ita cecinit:

Barclai. *Et qui tergeminam rides,* CALVINE, *coronam,*
Et Latium Latio deſtruis eloquio.

Eloquio autem? ô frigidum pro re nomen! ſanè eloquio, ſed eloquio Dei, ſed eloquio rerum ipſarum pondere nixo ac virtute gravido, ſed eloquio, non quò Terentius fabulas docuit, non quo Virgilius arma cecinit, non quo Tullius Romuli nepotes ori ſuo illigavit, ſed quali Paulus (non æquali dico) veluti novus, at longè longéque major è tertio cœlo Pericles, non modò Græciam permiſcuit, ἨΣΤΡΑΠΤ᾽ ἘΒΡΌΝΤΑ, ΞΥΝΕΚΎΚΑ ΤῊΝ ἙΛΛΆΔΑ, ſed Romam, totúmque adeò, qui Romano ſuberat orbis imperium Deo reddidit. Paulum Calvinus, ut Paulus ipſe Chriſtum, imitatur, & longo intervallo, attamen ſequitur. Humanæ floſculos eloquentiæ, ac teſſellas, & phaleras deſpicatur, ſed gravi, ſacro, & rebus quas tractat conſentaneo ac appoſito ſermone loquitur. Cujus dotis admirandæ quasdam veluti ſtricturas dedit, cùm nondum noſter Senecæ ad inclementiſſimum Imperatorem De Clementia Scriptum notis illuſtravit, quibus equidem nihil dignius cultiusque vidi. Iam tum in iis unguem oſtendit, & quantus leo creſceret, & qualem rugitum aliquando editurus eſſet (nam ita de Paulo ipſo veteres loquuntur) prodidit, oratione libera, ſed caſtigata, non inamœna, ſed bene morata, frugali, ſed opulenta, ſimplici, ſed munda, quæ non

pigmentorum lumine ſuffecta renidet, verùm pulchritudine naturali exſurgens effloreſcit, ut in eo Seneca exſiſtere ac reſpirare denuò, ac ſui copiam facere videatur. Quid cùm aliquem adverſarium veritatis adoritur, quàm facilè, quàm plenâ victoriâ defungitur, ut aptè procœmiatur, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, atque hæc omnia inaffectata quadam & nativa ſponte decurrunt, quaſi non compoſita & arte laborata conſtruatur, ſed nata velut ex perenni jugo eveniat, & inſtar fluvii ſcaturientis defundatur oratio. Si quis porrò ipſius dicendi vim & copiam æſtimare pro merito velit, Reſponſionem ad Sadoletum legat, non recedet niſi commotior, non recedet niſi melior: id quod ego præſtare audeo. Scripſerat Sadoletus Cardinalis ad Genevates, majores veſtros, luculentam & omnibus inſtructam figuris & luminibus orationis epiſtolam, ut eos ad Pontificis Romani ſervitutem, ſi forte, retraheret: qua in Epiſtola verba ſeſamo & papavere ſparſa tam commodè pharmacus ille miſcuit, ut non quidem perſuadeat niſi parum firmis, attamen valentiſſima quæque ingenia, ſi ſolus legatur, afficiat, & admiſſus circum præcordia ſollicitet. Succedat Calvini reſponſum: Deus immortalis! quàm derepente factus infans videbitur, cui modò primas eloquentiæ tribuiſſes! ut ejus ars tota pellucet ad primum Calvini conſpectum, tota detegitur ac veluti reſupinatur, ut jam friget, languet, vaneſcit compoſitus Calvino! ut iners ac inermis jacet! Legatur & illa legi digniſſima Inſtitu-

tionisPræfatio ad Franciſcum primum Galliarum Regem, dignum Rege, dignumque tali opere propylæum, quod equidem ſæpius legi, ſæpe retracto, & ſemper quaſi novitatis gratia lenocinetur adhuc, denuò capior, ineſcor,& nunquam niſi ægrè avellor. Certè qui tres trium Virorum præfationes, Thuani ad Hiſtoriam ſuam, Caſauboni ad Polybium, Calvini ad Inſtitutionem Chriſtianam inter decora ſeculi noſtri ſoleo putare, ut eam quæ Calvinum habet authorem, cæteris anteponam, non modò argumenti ſublimitate perſuadeor, ſed etiam ipſa proprietate vigore præſtantiaque ſermonis adducor. Verùm ne moremur in ſingulis, quicunque tandem Calvini locus inciderit, optimos Latinitatis authores nobis refert: Pauci legantur, uti ſe dabunt, verſus, facilè intelliges hic neſcio quid ſupra ætatis noſtræ genium ſpirare. Quæ ſanè quotiès apud me conſidero, mirari ſubit, cur illa Ieſuitarum natio nullum adhuc de ſe Scriptorem dederit, non dicam æquè ſanctum, nam quid ſancti ab iſtis hominibus, præter nomen, ſperare liceat? non æque cordatum, nervoſum, ſolidè doctum, ſed Latinum. Nec Sirmundos excipio, nec Petavios, quos illa Sociorum hæreſis facilè primos numerat, nullus eorum profectò, qui tamen in juventute gradatim docenda per omnes ſtudiorum ordines ærumnoſas contriverunt ætates, ac ne ipſe quidem Grotius, cujus in melioribus literis famigeratiſſimum nomen fuit, quicquam poſteris commendavit, quod certiùs ætatem

ferat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ferat, vel quod cum Calvini ſermone contendi mereatur, quod nec varietate confuſionem pariat, nec facilitate faſtidium, quod nec ſit humilitate jejunum, nec magnitudine vaſtum, ſed plenum citra tumorem, nec non æquabile citra mollitiem: non luxurie diffluens, non ſterilitate tabeſcens, non ita copioſum ut nimium, nec ita ſuave ut laſcivum, nec ita lene ut remiſſum, non ſic triſte ut horridum, nec ita ſimplex ut nudum, par verbis materiæ, par ſententia rebus, cui nec addere poſſis quicquam non ſuperfluum, nec demere poſſis quicquam non neceſſarium. Sunt hæc magna, ſed in alio: in Calvino minima, ſi cæteris virtutibus comparentur. Hac ille quidem laude cenſeri poterat, niſi hanc cæterarum obrueret magnitudo, nec in hac parte nos diutiùs immorari cæteras æſtimantibus operæ pretium videatur. Sed huic loco ac tempori apprimè idoneum & opportunum erat, hoc ut ſtudioſa juventus exemplum intueretur, optimum Dei ſervum, defæcati Euangelii monſtratorem non modò à rerum cœleſtium peritia, ſed ab eruditione cultuque linguarum, & quod proximè faciendum eſt nobis, à diligentia, laboriſque patientia commendare. Nunc igitur labores mihi perpendite quos exantlavit Herculeos contento ſemper animo, quamvis pallidum & exſangue corpuſculum remiſſionem poſtularet. Quod fortiſſimus quiſque in longiſſima vitæ uſura vix auſus eſſet aggredi, noſter tametſi querula valetudo & adverſa ſæpe obſtreperet, eumque

lecto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

lecto plurimùm affligeret, in tam brevi & circumciſo vitæ ſpatio perfecit. Mirantur, qui tantæ molis volumina tam diverſi operis luſtrant ab eo condita, qui tam brevis ævi fuerit: at iidem ſi non tam numerum ſpectarent modumque librorum, quàm judicium & limam & accurationem ſummam, & quæ cæteræ dotes in eo ſe paſſim produnt, quàm ſcripſiſſe tam multa, ſcripſiſſe talia mirarentur impenſiùs, iidemque ſi non ad ea modò quæ ſcripſit, ſed ad ea etiam quæ geſſit, animum attenderent, ſi non tam æſtum occupationum quibus perpetuò reſorbebatur, (nam ille quidem quoties cum influentibus negotiis paria fecerat, inſtar refectionis exiſtimabat mutationem laboris) quàm perſecutionum procellas, & calumniarum atrocium fluctus veluti decumanos, quibuſcum perpetuò luctabatur, penſarent, jam non ampliùs mirarentur, ſed attoniti ac defixi ſtarent opinor, planéque obſtupeſcerent. Nam quis Argus, quis Briareus, ut hoc ex Gentilium fabulis mutuemur, tot rebus aut ſapienter providendis, aut rite ac ordine tractandis par eſſe potuit? Quot ille monſtra Scripturæ Sacræ quadam veluti clavâ perdomuit? quot ille Augiæ ſtabula copioſo ingenii ſui flumine purgavit? quot ille tropæa hiſce tholis affixit? quot proſtravit apros? quot Centauros debellavit? quot errorum capita virus immane trudentia reſecuit? nam & illi qum ſua fuit hydra decertandum: Quot enim, putas, inerant in Pighio Pelagii? quot in Caſtalione Cœleſtii? quot in Balduino Grotii?

Grotii? Cum igitur Senatui Sacro, in qúo de rebus Eccleſiæ agitur, & uniuscujusque doctrina Eccleſiaſtæ ad examen vocatur, nec non Conſiſtorio, in quo morum cenſura exercetur, ſedulus intereſſet, cùm quotidie in Eccleſia concionaretur, quotidie in Schola doceret, cùm de Repub. identidem conſuleretur, cùm ſingulis horis admitteret inviſores, aut potiùs undam viſitantium exciperet, cùm literas in omnia regna miſſitaret, cùm tot negotiis ex toto undique orbe inundantibus pulſaretur, cùm denique (nam poſtremum ponere hoc oportuit, quod eſt longè graviſſimum) non modò ejus doctrina novis quotidie criminationibus apud exteros premeretur, ſed etiam intus ac domi Fratres eum hoc amabili nomine malè dicti vexarent, ac in diſcrimen exiſtimationis interdum, interdum etiam vitæ darent, quis tum quoque inter hæc ipſum arbitretur potuiſſe commentari ſeculis profutura? Quid eſt enim quod non illæ poſſint occupationes impedire? nos id optimè omnium exiſtimare poſſumus, qui verſamur in eadem navi, & ad eadem gubernacula ſedemus, qui vix centeſimam partem ſuſtinentes oneris quod ille pertulit, jactamus, gravamur, malè ferimus. Nempe illius humeros non habemus: utinam verò intentionem ac diligentiam repræſentaremus! Nam quid eſt, quod illa non poſſit inſtantia efficere? Studioſi vocamur, qui ſi cum illo comparemur, deſidioſi ſumus. Ego certè qui tota vita literis aſſideo, ut de meipſo aliquid dicam, & nullis officiis

niſi publicis diſtringor, & noctibus plurimùm utor, ut qui cæteras laudes non ambio, diligentiæ mihi laudem ultrò ſumam, quoties illius in mentem venit, qui varias occupationes apud amicos alioqui cauſificari ſoleo, jam quaſi ſomno ac inertiæ deditus erubeſco, & μιρμαλίξ nomen detrectare nequeo. Scilicet ſymboli quod elegerat SINCERE` & PROMPTE` partem hanc poſteriorem, (nam de priori ſe dabit alius dicendi locus) promptitudine uſque ad miraculum veloci ac ſtupenda diligentia ſua pleniſſimè confirmavit. Quippe ſi omnia ei ex voto & animi ſententia fluxiſſent, mirari tamen oporteret, quòd in tantulo ſpatio tot libros tam felici elaboratos induſtria ediderit: Nam Toſtatum edidiſſe multos equidem ſcio, adeò ut inter prodigia recenſeri ſoleat: ſed quæ, malùm, hæc diligentia fuit, quæ in molem ſanè moleſtam, & quaſi ſatyram & farraginem inconditam exiit? At ex adverſo Calvinus cum ſummis animi & corporis angoribus conflictaretur, cùm à nebulonibus naſo paſſim adunco ſuſpenderetur, cùm Argentoratum delegatus modò mitteretur, modò coactus aufugeret, cùm eum ex ponte in Rhodanum licet non adhuc depontanum dejici oportere paſſim jactaretur, cùm omne genus intemperias, contumelias, calumnias, & ſæpè duriſſima in os convitia perpeteretur, interea (mirum & incredibile dictu!) aſſiduus & accubuus ea lucubrabat, quæ non promiſcuè congeſta, ſed ſummo judicio meditata hinc publicus Eccleſiæ favor exciperet,

inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

inde poſteritas nunquam intermoritura memoria complecteretur. Quis jam brevis ævi Calvinum fuiſſe dicat, cujus tota vita verè vita fuit, cujus nullam partem ambitio, nullam voluptas, nullam deſidia minimam ſomnus abſtulit? plùs ille vixit quàm qui longiſſimum vitæ ſpatium aut nihil aut aliud agendo tranſeunt: plùs ille vixit, quàm qui turpi marceſcentes otio non tam vitam agunt, quàm prætervehuntur, nec vivunt, ſed in vita morantur, quamvis ad extremam ſenectutem perveniant: nec enim ſerò tales moriuntur, ſed diù: plùs ille vixit, quàm qui octoginta vixerunt annos in otio ſine literis, non ſine vitiis, quâdam quaſi vivi hominis ſepultura: quid enim illos anni tot per inertiam exacti juvant? longa eſt vita ſi plena eſt, actu metiamur illam non tempore, multum refert, non quantum pateat, ſed quantum pendat: unus enim dies hominis eruditi & boni, quàm imperiti & iniqui longiſſima ætas, plùs pendit. Calvinus igtur diutiſſimè vixit, quamvis in medio curſu raptus, quia nulla in parte ceſſavit, anguſtum quod acceperat ſpatium benè diſponendo extendit, omne tempus apprehendit, ac velociſſimæ omnium rei moram fecit, adeóque vitam, cujus ætas imperfecta fuit, ſtrenuo, erecto, & vigili animo perfectam reddidit: ut non magis conſummatiſſima rerum divinarum cognitione, non ſtyli felicitate magis, quàm intentione nobis ac indefeſſa diligentia præluxiſſe videatur. Sed has ille præterea dotes emendatiſſima

integritate morum, & inculpatæ vitæ perpetuo & æquabili tenore ſancivit. Nunc enim veniendum eſt nobis ad id quod eſt præcipuum, ſed idem facillimum, certè apud vos, qui teſtes multos audiviſtis, & à Patribus veſtris accepiſtis, quemadmodum Calvini pectus omni virtute ſubornatum, omnibus vitiis hoſtiliter inimicum exſtiterit, quemadmodum in omnes nullo diſcrimine animadverti, adeò juſtitiam ſine ullo reſpectu coluit, non amicis, non propinquis, non ſuæ neceſſitudini parci voluerit. (quod illuſtri ac in ævum omne commemorabili exemplo docuit, cùm feminam ſibi affinitatis vinculo conjunctam, quia turpiter deliquerat, cædi publicè flagris non modò non noluit, nec impedivit, quod erat ei facile factu, ſed etiam probavit, quemadmodum denique in omni colore vitæ Calvinus Calvinus fuerit: Nam illa tenebrionum exoleta convitia nihil moramur, qui profectò ſi Calvinum laudare ſuſtinuiſſent, majus eſſet operæpretium eorum laudibus quàm conviciis reſpondere. Novimus quot plauſtris maledictorum ejus ut præſentis famam, ita defuncti memoriam Satanæ ſatellites oneraverint, dicam, an ornaverint? ſemper enim Viri Dei ab ejus hoſtibus probris affici non modò non erubeſcendum exiſtimârunt, ſed etiam in laude atque ornamento poſuerunt. At iidem novimus ex eo, unde ortum traxit, oppido, publica fide munita documenta exportata fuiſſe, quibus eum in primis adoleſcentiæ ſpatiis & cætero vitæ inter ſuos anteactæ

curri-

curriculo ab omni labe purum fuiſſe liqueat, & eundem ſatis novimus omnes, à quo tempore huc Genevam appulit, non magis verbo quàm opere tùm gregi ſuo, tùm collegio præiviſſe. Quid igitur verba perdimus in re tam liquida? cùm ſatis conſtet, ubicunque ſuus virtuti ac veritati conſtat honos, eum non Seraphicæ quidem faſtigium perfectionis attigiſſe, nullus hoc dico: nam quis in terris eò pertinet? hominem agnoſco? ſed quantum capit noſtræ mortalitatis modus, omnem ſine fuco, ſine labe vitam, &, rumpantur ut ilia Codro, virtutum omni genere conſpicuam, & Angelis Deóque jucundam, & hominibus inprimis utilem voce, manu, exemplo peregiſſe? Quod ita nunc palàm eſt, ut ſi quis adhuc obſtrepere non veretur, ſanè frontem omnino de rebus periiſſe oporteat. Non ille fuit ignavâ vitâ, philoſophâ ſententiâ, ſed moribus Euangelio digniſſimis, & ab omni fuco alienis, Euangelii doctrinam emendatam, & ab omni labe ſecretam, obſignavit. Maximum doctorem charitatem, ut hoc mihi Chryſoſtomus de ſuo largiatur, vitam rectam, optimum ſyllogiſmum adhibuit. Non eum barba, non toga Theologum fecit, quales hodie multos videt orbis Chriſtianus, quibus rectè dixeris, Barbam video, video togam, & inſulam, & pileum, & cæterea Theologiæ doctoris inſignia video, Theologum autem non video: Erat quod audiebat, præſtabat quod profitebatur, ſcientia paſcebat, operibus ædificabat, nec minùs de reformandis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

moribus, quàm de reformanda Religione ſollicitus, ut in hoc ita in illud perdius & pernox incumbebat. Quamvis autem propterea ſolum vertere coactus fuerit, quòd inſtitutum diſciplinæ urgeret, ac evaganti fræna licentiæ injiceret, idipſum revocatus adeò urgere non deſtitit, ut nihil quicquam ſtudioſiùs expetierit, quàm cum errorum venenis monſtra vitiorum tolli de medio, ac morum Cenſuram in eam rem conſtitui, quæ poſteà conſtitutio emunctæ

BODIN. naris De Rep. Scriptorem in admirationem dedit. Quæ igitur apud animum deteſtabatur flagitia Calvinus nec in grege ſuo ferre poterat: Si me vultis, ajebat, illa mittite; me bono animo exſulem revocaſtis, illa in exilium pellite: non poſſum equidem intra mœnia veſtra cum illis conſiſtere, cum effræni licentia, cum diſciplina collapſa, cum impunitate ſcelerum hinc vires acquirentium in eadem ſede morari non poſſum. Nimis puriorem Dei cultum, qualem annuntio, inquinant ſceleſta pectora: nimis Chriſto nocet flagitiis cooperta Chriſtianorum vita: hos ego capitales hoſtes Euangelii reor, non Pontificem, non hæreticos, non impoſtores, non tyrannos, hi ſiquidem omnes extra Eccleſiam furunt, ſed libidinem, ſed ebrietatem, ſed ſumptus inſanos, & perjuria, & blaſphemias, & quæ talia intus Eccleſiæ gloriam labefaciunt, meamque doctrinam difformitate ſua, difficillimo argumento, refellunt. Minùs Romam timeo, minùs Monachorum copias, minùs portas inferorum, & Principatus ac poteſtates in cœleſtibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſtibus, quibuſcum ſine miſſione colluctor, quàm terrenas cupiditates, quàm popinas, fornices, aleam, priſtinæ ſuperſtitionis reliquias, urbis veſtræ dehoneſtamenta, & Reformati nominis propudia. Quid enim arcere lupos juvat, ſi gregem lues infeſta depaſcitur? quid juvat mortua ſine bonis operibus fides? quid veritas ipſa, ſi vitâ diſſentaneâ, & moribus impuris, quodam veluti perpetuo mendacio refutatur? Aut ego mœnibus veſtris ejiciar & in exilium repellar, aut ſeveras in Eccleſia leges figite, ſanctiorem diſciplinam inſtaurate, peſtes illas vitiorum proſcribite, ac procul pomœriis veſtris & finibus arcetote. Sic in Senatu Calvinus in hunc certè ſenſum loquutus eſt, cùm primùm ex ſuo velut oſtraciſmo redux factus eſt, ut vel hinc noris eum acerrimum vitiis omnibus odium indixiſſe. At non ſi quis vitiorum oſor apparet, continuò virtutis cultor exiſtimari debet: multi ſunt intra legem boni, quos ab inferenda injuria quædam veluti religio abſterret, hoc fine bonitas eorum clauditur, qui præterea ſeſe demerendis aliis natos neſciunt. Calvinus autem non modò vitiis omnibus, quibus Dei Majeſtas læditur, bellum denuntiarat, ſed etiam virtutibus omnibus, quibus Chriſtiani perficimur, apprimè ſtudebat, ſobrietatem dico, juſtitiam, pietatem, quibus ferè tribus omnes aliæ continentur, adde patientiam, zelum, candorem, conſtantiam, ſimplicitatem, ac ejuſmodi cætera Dei munera, quæ noſtra hæc ætas decolor jam propemodum ignorat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

rat, quorum ille conjugium veluti quoddam, & admirabilem profectò mixturam fecerat. Quapropter non animus eſt ire per ſingula, quia nec opus eſt in re notiſſima, nec facile eſt in hac iniqui temporis anguſtia: nos enim tametſi ſumma modò faſtigia ſequeremur, dies priùs quàm oratio deficeret: hoc unum volumus, eas virtutes quas rariſſimè conſertas & conſpirantes in eodem homine videas, quæ tamen ſingulæ ac meræ ſuo in pretio ſunt, ita fuiſſe coactas in Calvino, ut non felicitati naſcendi, ſed certæ providentiæ numinis attribui, ac inæſtimabiles putari debeant. Ille patienter quidem injurias feret, cui natura nimis tranquilla, nec ad levia momenta irritabilis animus contigit: at idem ne tunc quidem commovebitur, cùm res & ratio poſtulabunt, cúmque adeò patientia ſcelus erit. Alter zelo Dei totus inardeſcet, cui rapido ferventius amni natura ingenium dedit, ſed idem tunc etiam charitatis æſtu incitabitur, cùm tempeſtiva magis erit prudentia, & motos componere fluctus præſtabit. Sunt quibus propriæ infirmitatis conſcientia modeſtiæ neceſſitatem impoſuit, quos tamen ſi copiis abundarent, ſua protinus modeſtia deſtitueret: Non deſunt quibus puſillanimitas lenitatem, lenitas amorem conciliet: novimus & quibus triſtitia gravitatem, gravitas reverentiam circumdet. Quos ut fraudare laude ſuâ nolimus, ita Calvinum illis intervallo anteponimus, quanto naturalia cœleſtibus ac divina diſtant humanis. Nam quò naturâ ferimur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

rimur, quò temperamentum velut aurigatur non tam ire quàm ſequi, tralatitiæ ac humanæ virtutis eſt: affectus regere, contra naturæ ſemina, contra indolis momenta niti, nec uniformi gradu, ſed pro eo ac Dei gloria expoſcit, reſiſtere modò, modò impelli; flagrare modò, modò lenteſcere, diverſiſſimas dotes quaſi cum leone agnum & cum ſerpente columbam felici copula jungere:luculenta, inquam, hæc Patris luminum dona, ſimul varietate, ſimul ſocietate ſua cœleſtem originem clarè ſignificant, divinique Spiritus afflatum ſapiunt. Quæ ſanè dona Deus in Calvino ſua veluti manu miſcuerat. Sicut enim ad eas virtutes, quibus intellectus exornatur, quod ſpectat, Deus illi memoriam rerum omnium præter injurias tenaciſſimam cum ſubactiſſimo judicio, & animum negotiis parem cum amore contemplationis ac ſucceſſu incredibili contulerat, quæ dotes alioqui non facilè junguntur; nec non efficaciſſimum ingenium cum ſumma laboris patientia; concionandi peritiam cum docendi ac ſcribendi facultate ſingulari, ac mentem ingenti flumine literarum inundatam, cum ſtyli pudica munditie ac nitore limpido, & alia multa quæ rarò ſimul bina reperias, in eum prorſus inuſitata numinis beneficentia conjugârat: ita quod ad mores attinet, in eo Deus eas quæ rarò coëunt virtutes, incredibilem dico patientiam cum acerrimo Dei zelo, animi magnitudinem ſummam cum illa quæ non ſatis Latinè dicitur humilitate, ſollicitum timorem cum fortitudine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

invicta, contemptum divitiarum cum honoris deſpicientia, immodicam propè modeſtiam cum ingenii ac eruditionis excellentia, charitatem cum prudentia, cum lenitate gravitatem pari librâ temperaverat. Quippe acer, non triſtis erat, qualem verearis, non reformides, quicquid alii judicent, qui non tam pectoris momenta, quàm fila vultus explorant, & ex oris pallore vel nigrore ingenium ac mores hominis, non ſermone aut actionibus æſtimant. Quod ſi minùs idoneis teſtibus compertum eſſet, qui ſuavem in convictu fuiſſe referunt, adeóque non ſe difficilem præbuiſſe, ut cum Senatoribus ludendo animum interdum relaxaret, ſed innocentiſſimo ludo, cùm clavibus in menſam projectis contenditur, quænam ad lineam oræ alterius extremæ propiori appulſu pertineat (id quod à viris fide digniſſimis accepimus) hoc ipſum epiſtola, cùm diriſſimis podagræ doloribus tentaretur, jocosè ad Bezam ſcripta liquidò demonſtraret. Nimirum tempus hoc idoneum jocandi nactus erat, cùm à jocis ad gemitus revocante identidem cruciatu non eſſet metuendi locus, ne jocando modum excederet. Non tamen hoc negaverim, naturam eum ad ſeveritatem finxiſſe, neque verò illud, quod ipſe tam ſæpè confitetur, eum ſuopte ingenio timidiorem fuiſſe. At idem affirmare non dubito Dei Spiritum hoc utrumque modò ita direxiſſe, ut multum profuerit, ac ex altero quidem authoritas, ex altero prudentia invaluerit, modò ita correxiſſe, ut nihil ob-
ſtante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſtante illo temperamenti reniſu, non modò facilitatis morum, ſed fortitudinis etiam exempla conſpicua ediderit. Nec enim ſeverum illud ac veluti cenſorium impediit, quominùs verùm animi gaudium, gaudium enim verum ſevera res eſt, crebrò ſignificârit, facilem perpetuò ſeſe atque tractabilem in rebus mediis oſtenderit, ſuavitatem in amicos & candorem liberrimum exprompſerit, adeóque ſtudiorum amœnitates interdum quæſierit; ac ne quis hanc unius Bezæ propriam laudem arbitretur, etiam verſus bonos fecerit. Næ ſi durus & aſper & illætabilis adeo fuit, cauſſa dici nulla poteſt, cur in Cæſaris comitiis Wormatiæ coactis, quorum ipſe pars magna fuit, inter graviſſima religionis negotia feſtivum ac triumphale carmen pangeret. Non juvenis in ſchola, ſed in concilio Theologus, non in receſſu, ſed in ipſo rerum actu, cùm res ageretur longè maximi momenti, Pax Eccleſiæ, cùm eum ibi Melanchton, ibi enim uterque convenerant, honoris causâ Theologum vocitaret, Poëta derepentè factus: quod ſi alicui noſtrûm contingeret, adeò nos moroſi præ illo ſumus, abſque nota vix abiret, Muſas loquitur, iô Pæan canit, Kalendis Ianuariis, more veteri, nec averſum à Gratiis, nec alienum à manſuetioribus diſciplinis animum exerit. At nec illi fortitudo ſua defuit, cui tamen ipſe adeo malè favet, cùm ſe puſillanimum & naturâ pronum ad formidinem agnoſcit, quod nimis verum erat, niſi Dei gratia, & Spiritus robur adverſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

omnes procellas intrepidum effeciſſet. Cujus rei exemplis cùm tota ejus vita plena ſit, duobus contenti erimus, quorum alterum in concione ad populum, alterum in medio Senatu deſignavit. Factioſi fortè homines in ejus perniciem conjurati, à Diacoſiis, quod ſupremum eſt hîc Genevæ conſilium, obreptitiè impetraverant, ut in unum è ſuis nebulonem hominem ac flagitiis coopertum à Presbyterio lata excommunicationis ſententia Magiſtratus arbitrio reſcinderetur. Superiores illi tum ferocire ac inſoleſcere victoriâ, concioni ſacræ intereſſe, ad participanda Synaxeos myſteria ſeſe accingere, tumultuari, Calvino minari extrema omnia. Quid ille? gravior quidem videbatur hæc tempeſtas, quàm ut ex ea eluctaretur puſilla ſcilicet anima: vel nunquam, vel hoc tam difficili tempore pauliſper è via declinandum fuit, ac ſerviendum tempori. Sed has ille neſcivit artes, dum furor ſeditioſorum deferbuerit, non exſpectat, in medio agonis æſtu, inter concionandum elatâ voce ac manu, AT EGO, inquit, Chryſoſtomum ſequutus occidi potiùs me patiar, quàm hæc manus Dei contemptoribus judicatis Sancta Domini porrigat. Quæ vox ab eo profecta qui cum collegis in judicio victus, & in extrema jam verſari tegula credebatur, anſam excitandæ tragœdiæ captantibus præbere debuit, ſed ex adverſo quaſi cœlitùs edita veſanorum impetus coërcuit, atque compreſſit, & quo minùs horribilia tremendaque myſteria peterent, abſtinuit. Verùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

rùm in Templo, inquies, animoſior, cùm è ſuperiore loco Dei legatione fungeretur ſacratioris loci quodam velut horrore, ac ipſius Numinis fretus præſentiâ, non tamen alibi parem animi fortitudinem? non idem imperterritum indeclinabilis conſtantiæ robur explicuit. Quod ſi res eſt, unde igitur illa non jam in Templo, ſed in Curia; non in cœtu ſilenti, ſed coorta ſeditione, ſui vilitas & ſecuritas vel ut meliùs dicam ſui fiducia, cùm pænè exſertis enſibus mutuâ cæde ſævitum eſſet, niſi Calvinus objecto ſuo ipſius capite interceſſiſſet, quod præſertim caput ſceleratorum factio petebat: jam currus habenas non audiebat, clamor tribunalia impleverat, furor arma miniſtraverat: flagrabant oculi, æſtuabant animi, radiabant enſes, omnia tumultu fervebant, Calvino interea non diſcrimini ſe ſubducente, non furioſorum pectora mulcente, quid ergo? virum Dei oſtendente, ſcelera eorum increpante, tum etiam, cùm importuniſſima res erat, graviſſima in eos æterni Dei judicia detonante. Fuerit ergo naturâ ſeverus ac triſtior; at eum Dei gratia recreavit ac leniit, naturâ timidus fuerit; at eum Dei Spiritus erexit, & heroïcam ei virtutem induit,quod utrumque demonſtravimus: Fuerit præterea ſuapte indole pronus ad iram, quod ex ipſius corporis habitu facilè colligas; at eum Dei benignitas non modò placabilem reddidit, ſed incredibili etiam patientia inſtruxit: proclivis denique ad elationem fuerit, quod ex talium virtutum conſcientia non ægrè contin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

gere potuit, ad eum tamen Deus non ad humilitatem duntaxat condocefecit, ſed etiam ſingulari & prorſus admirabili modeſtia inſignivit, quæ duo nunc, faciente Deo, demoſtraturi ſumus. Patientiam & Modeſtiam cùm dico, duas virtutes illas intelligo, quarum altera in ſuſtinendo; altera in abſtinendo ſita eſt, ut eandem Paronomaſiam latina conſuetudo retineat, quam Græci adhibent cùm ſuum illud ἈΝΈΧΟΥ ΚΑῚ ἈΠΈΧΟΥ præſcribunt: altera intolerantiæ, altera incontinentiæ opponitur, ut eximius author loquitur, altera victorem in malis, altera in bonis rectorem animum conſtituit. Ac de Patientia ut priùs dicam, qui locus ideo lubricus videtur, ac perdifficilis, quòd ii etiam, qui cæteris Calvini virtutibus pretium dicunt ſuum, hac in parte nonnihil requirant, quoties præſertim ejus acria, & aculeata & flammea ſcripta legunt, nos eum fatemur ultrò minimè Stoicum fuiſſe, quâ tamen invidiâ, ſed aliâ in causâ, premitur. Nec enim patientia zelum extinguit: patienter curramus, inquit author divinus: expectando, ſed properate, inquit Petrus. Quoties agitur cauſa Dei, ſalus animarum, defenſio Eccleſiæ, tutela cœleſtis doctrinæ, mollibus articulis rem tractare non decet: hic animis opus, hic zelanti pectore, patientia exeſto: Dei hoſtes à Dei filiis non ſunt habendi comiter, miniſtri Satanæ non ſunt à Dei ſervis humaniùs demulcendi, lupi vaſtantes Eccleſiam non ſunt à Paſtoribus Eccleſiam cuſtodientibus

modicè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

modicè ferendi: Tales Calvinus adverſarios habuit, quod alicubi gloriatur, cùm ſecum neminem inimicitias exercere affirmat, qui non Deo bellum indixerit, & Eccleſiam hoſtilem in modum perſequatur. Hac ſub idea cùm inimicos ille ſuos contemplaretur, nec tam ſuos quàm Dei, certè non aliter ſuos, quàm quia ipſe Dei ſervus & Eccleſiæ defenſor erat, nimis Dei gloriæ, nimis Eccleſiæ commodo ſtudebat, quàm ut pro Domino, pro grege ſuo, pro patris honore, pro ſalute fratrum, quod utrumque videbat in ſummum diſcrimen adduci, pugnando frigeret, aut etiam laceſſitus acerbiſſimè quaſi malè ſibi conſcius & cauſæ diffidens bonitati dulceſceret. Quis autem adeo ferus & ferreus eſt, ut patrem ludibrio haberi cùm coràm videt, fratres truculentis mortibus ac diriſſimæ lanienæ objici, patri contumeliam inferentes revereatur, aut convitium ſaltem dicere fratrum interfectoribus reformidet? Atqui tale Calvinus theatrum intuebatur, in quo Idolorum cultus ad ludibrium Numinis quædam veluti comœdia in tragœdiam exibat piorum ſanguine funeſtam. Cùm illam igitur ſcenam ſpectaret ex hac veluti cavea, quibus potuit modis ultus eſt Dei contemptum & Eccleſiæ ſanguinem, quòd cùm fecit acriter, adeo inhumanus non fuit, ut ſi ſe remiſſiùs dediſſet, impius & barbarus omnem Dei metum omnemque ſenſum charitatis exuiſſe videretur. Iraſci tunc bene potuit, ſanctéque ſævire, ac ſtylo certè confodere doctrinam, quæ tantum

ſuadere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſuadere malorum potuit, omneſque adeo qui tam triſtis & inamabilis cauſæ patrocinium ſuſcipiebant contra Deum Deique populum, non ferro & flamma perſequi, ſed voce libera & calamo vehementiſſimo deteſtari. Quamobrem vos hic appello, qui Calvini partes omnes alias mirari ſoletis, & ab ejus doctrinâ, licet adhuc hæreatis in Pontificia, non multùm abhorretis, hoc deſideratis unum, egiſſet mitiùs, nec diſtricta fervidaque ſcriptione nonnullos qui benigniori ſunt ingenio ſauciâſſet; vos enim profectò ſi Calvinum habuiſſetis voluntati veſtræ obſecundantem, ac efferatum Sionis ulcus mollimentis lenioribus curantem, ſequutores hodie multos haberetis ex eorum numero, qui Nicodemitarum nomine culpam prætexentes falſam ſibi ſalutis in media Babylone potiundæ perſuaſionem induerunt, quos tamen omnia ſolviſſe retinacula, & omnes machinas tentationum feliciter eluctatos videmus: Nam ſi delicatè Calvinus ac levi brachio adverſarios tetigiſſet, quaſi abſterritus aliquâ conſcientiâ, dixiſſet illi fotaſſe quiſpiam: Tu ſi ſalutem in Eccleſia Romana confieri non poſſe crederes, ita ſcriberes? hæc enim tunc opinio, cùm ipſe ſcriberet multorum animos occupaverat, ab Eccleſia quamvis adultera divortium faciendum non eſſe, quam ut avelleret, malo nodo malum cuneum adhibuit, ac in veritatis liquidiſſimæ odio perſeverantibus & Eccleſiæ inſtaurationem diſturbantibus diras denuntiavit. Hoc eum decebat qui divinæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſibi vocationis conſcius, Romæ pudendos ac peſtilentiſſimos errores detexerat, ut eos, qui magis ac magis in eam ſe voraginem induebant, vi raperet, non quæſitis verborum lautitiis alliceret, ac eos, qui lucem ſuo miniſterio cœlitùs patefactam extinguere, ac luem ſuperſtitionis jam nimis latè graſſantem propagare moliebantur, non velut oves errantes blando revocaret admonitu atque in ſinu foveret, ſed ut hircos ac lupos, quorum alii gregem inficiunt, alii verò interficiunt, prædones non præcones, impoſtores non paſtores, nec doctores, ſed ſeductores juſto zelo percitus alta magnaque voce profligaret,ageret, inſectaretur. Hæc enim jam non patientia fuiſſet Chriſtiana, ſed improba lentitudo, ubi de ſumma rerum agebatur ac æterna ſalute,quod ſi faceret Chirurgus in corporis vulneribus, culpationem non effugeret, in atroci morbo lenioribus uti remediis, & crudeli benignitate in capitali periculo verſantibus ægrè facere nolle, nolle iraſcī phreneticis ut ſerventur, non audere ficum ficum vocare, ne dictum durius exiſtimetur. Hic veteres afferre poſſum, Athanaſios, Nazianzenos, Hieronymos, alios, qui Dei & Chriſti adverſarios adeò bonis verbis delinire ac manſuefacere non ſuſtinuerunt, ut eos aculeatis orationibus ac ſteliteuticis, quamvis alioqui virtutibus abundantes, & imperatoriâ majeſtate verendos, traduxerint palàm infamiæque objectârint. Non hic Prophetas, non Apoſtolos advocabo patientiſſimos mortalium, ac verè, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ita loquar, perpeſſitios, qui tamen, ubi res tulit, ſanctam iracundiam exploſerunt, juſtiſſimoque dolore accenſi juratos Dei & Eccleſiæ hoſtes veriſſimis, ideóque præduris expoſtulationibus & omnem contumeliam ſuperantibus maledictis perculerunt. Majus exemplum dabo, nec exemplum dicere debui, exemplar, inquam, omnibus numeris abſolutum, in quo patientia ſumma, ſed ſummo zelo armata; ipſe enim Chriſtus, hoc eſt, ipſa patientia excanduit, ad imitandum propoſita nobis eſt. Nemo Chriſti totâ vitâ benignitatem ignorat, cujus & magiſterium agnus ille profitebatur, qui tamen, cùm agebatur Patris gloria, in vindictam erupit, menſas ſubruit, menſarios flagellavit, è paterna domo ejecit, latrones etiam vocavit. Nemo Chriſtianus homo neſcit, quæ quantaque Chriſtus ad mortem uſque illam perpeſſus fuerit, cùm velut ovis ad mactationem ductus eſt, nec os ſuum aperuit; non aperuit, ut probra regereret; ſed aperuit, ut pro ſuis etiam perſecutoribus oraret, qui tamen, cùm agebatur ſalus Eccleſiæ, perſecutores ejus ferre non potuit, leonem ſe oſtendit, è ſummo cœlo tonuit, fulguravit, Saulem humi ſtravit, & longè quidem aliter, quàm cognominis alter Saul ſuo ſibi gladio incubuit, ore fulmineo velut enſe ſtricto feram indomabilem transadegit. Cùm ergo Calvinus Prophetas, qui à ſcommatibus non abſtinent, Paulum, qui faſcinatos & amentes Galatas vocat, Chriſtumque adeò, qui ſalsè perſtringit Phariſæos, imitari non dubitat,

bitat,

bitat, id non alio facit animo, quàm ut Dei gloriam contra exitiales errores fortiter aſſerat, & hominum ſalutem ſtimulis veluti quibusdam pungendo ſi minùs promoveat, certè non ignavâ mollique actione Sacroſanctæ veritatis cauſam prodat. Ipſe Calvinus pro ſe reſpondeat. EGO, “
inquit, pernicioſos errores, quibus tota religio corrum- “
pitur, ut piis omnibus deteſtabiles reddam, ſuis elogiis “
depingo. Et paulò antè adverſus eundem Weſtphalum: “
EGO verò tam indignè læſus non iracundiæ fervore, ſic- “
uti falsò exiſtimat, ſed cohibendæ ferociæ, quâ nimiùm “
exſultabat, ſtudio, acrius paulò, quàm optarem, remedium “
adhibui. Atque utinam dolore punctus fuiſſet ad pœni- “
tentiam! Sed quando tantùm exacerbatus nihil de pervi- “
cacia remiſit, imò in ea magis ac magis obduruit, altero “
fructu me conſolor, quòd alii intelligent, quàm intrepidè “
errori ſuo contra claram veræ doctrinæ lucem patroci- “
natus fuerit. Reverà cur eum, qui ſingulis propè verſibus non tam in Calvinum, quàm in ipſum Chriſtum deſævierat, artificiosè placaret? qui veritatis profeſſores toto orbe exterminandos, gladio potiùs quàm ſtylo refutandos, eorum vel approbatores dignos, quibus aqua & igni magiſtratus interdicant, pronuntiaverat? cur non ejus inſanum os ſtrenuus veritatis aſſertor compeſceret? cur non ei ſua convitia retaliaret? cum eo ipſo tamen, ut Calvinum facilè irritabilem, quales bonorum naturas eſſe Cicero ſcribit, ſed facilè placabilem ſcias, cum eo, inquam, ipſo, ſi velit in

gratiam redire, non detrectat, Chriſtum judicem appellat, teſteſque omnes Angelos, ſimulac ejus pervicaciam flecti contigerit, nullam in ſe moram fore, quo minùs fraterna inter ambos benevolentia coaleſcat. Quia verò mite Melanchtonis ingenium ſolent nobis opponere, qui vehementiæ aſperioris Calvinum arguunt, cùm illius facilitatem, prudentiam, & manſuetudinem ſummam deprædicant, hujus autem acerbitatem, ardorem, libertatem, quam zelum dicere nolunt, vituperant, quamvis profectò ſi periti arbitratores ingeniorum tam eſſent, quàm videri volunt, nec magnanimitatem in Calvino nec benignitatem deſiderarent, ac eum ex Luthero & Melanchtone veluti conflatum concretumque ac temperatum fuiſſe agnoſcerent, quia tamen Calvinum & Melanchtonem ſolent committere, quaſi alter Fabius fuerit, alter Hannibal, cùm dicere Marcellum debuiſſent, quaſi pretioſa inter ſe odia exercuiſſent, quaſi denique antipathia inter eos extrema, nulla conſenſio, nullum fraternæ amicitiæ coagulum fuiſſet, quod etiam Grotius, ſi quem poſtea excipiemus, poſteris perſuadere voluit, quædam Calvini verba recitemus, non verba, ſed mella, & auro contrà non cara, & non ſine aculeo mella, ut apis quædam non Attica ſed cœleſtis hos favos diſpoſuiſſe videatur. Poſtquam protervos & rabioſos homines quaſi factâ conjuratione in ſuum præcipuè caput virulento impetu ruere conqueſtus eſt, & hanc ſibi divinitus impoſitam condi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

conditionem patienter ferendam eſſe agnovit, ſervonem
abrumpit, & cum affectu exclamat: O PHILIPPE ME- “
LANCHTON! Te enim appello, qui apud Deum cum “
Chriſto vivis, noſque illic exſpectas, donec tecum in bea- “
tam quietem colligamur. Dixiſti centies, quum feſſus la- “
boribus & moleſtiis oppreſſus caput familiariter in ſi- “
num meum deponeres, utinam utinam moriar in hoc “
ſinu! Ego verò millies poſtea optavi nobis contingere “
ut ſimul eſſemus. Certè animoſior fuiſſes ad obeunda “
certamina, & ad ſpernendam invidiam, falſasque cri- “
minationes pro nihilo ducendas fortior: Hoc quoque “
modo cohibita fuiſſet multorum improbitas, quibus ex “
tua mollitie, quam vocabant, crevit inſultandi audacia. “
Quibus verbis quàm fuerit amicus Melanchtoni, quam- “
vis alia mens ei fuerit, alia longè in excipiendis hoſtibus “
inſtituti ratio, ſatis aperuit. Quid quòd ſuum ad Melan- “
chtonis epiſtolam reſponſum hic quoque ſubjecit, ſubjicie-
mus & nos, quia facit ad rem noſtram & ſi minùs faceret,
per ſe dignum erat, quod alieno etiam tempore pronis
auribus hauriatur. Scripſerat Melanchton: SCIO te pro “
tua excellenti prudentia ex ſcriptis adverſariorum tuo- “
rum judicare, quales ſint eorum naturæ, & quod intuean- “
tur theatrum. Cui Calvinus: RECTE quidem & pru- “
denter admones, id ſibi unum noſtros antagoniſtas propo- “
nere, ut ſe theatro venditent. Quanquam autem ſua opi- “
nio longè eos, ut ſpero & credibile eſt, fruſtrabitur, tamen “

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

" ut totius mundi plauſum referant, eò nos majore ſtudio
" ad cœleſtem, ſub cujus oculis certamus, intentos eſſe de-
" cet. Quid? An ſacer Angelorum conſeſſus, qui & ſuo
" favore nos excitant, & viam ſtrenuè agendi præmonſtrant
" ſuo exemplo pigreſcere, vel cunctanter pedes movere
" ſinet? Quid totus ſanctorum Patrum chorus? an nullos
" addet ſtimulos? Quid porrò Dei Eccleſia, quæ in mundo
" verſatur? Quum eam ſciamus, & votis nobiſcum pugnare,
" & exemplo noſtro animari, an nihil apud nos valebunt
" ejus ſuffragia? Meum verò ſit hoc theatrum, cujus appro-
" batione contentus, quamvis me totus mundus exſibilet,
" animo nunquam deficiam: tantùm abeſt, ut inſulſis cla-
" moribus invideam, ſi muſtaceâ gloriolâ in obſcuro an-
" gulo ad breve tempus fruantur. Quid plauſibile ſit
" mundo vel odioſum, me non latet. Sed mihi nihil pluris
" eſt, quàm præſcriptam à magiſtro normam ſequi. Nec
" dubito, quin hæc ingenuitas piis & ſanis gratior tandem
" futura ſit, quàm flexibilis & mollis docendi ratio, quæ
" inanem me tum præ ſe ferat. O verba cœleſtia totum Calvinum aperientia! quæ legere nunquam ſine admiratione potui, nec potui hoc loco tranſire ſilentio, certè nec debui; cùm ex iis liquidò pateat, quòd nunquam doctrinæ ſuæ genium ad hominum gratiam flexit, non ex impotentia, non ex auſteritate nimia profectum eſſe; verùm ex admirabili zelo rationes omnes humanas longè transgreſſo, qui favorem ac frigus, exiſtimationem

ac

ac infamiam, dum ſe Deo approbet, calcat, omneſque delitias & artificia ſermonis, non tamen injuriarum patientiam excludit. Quas enim, ut ad id, quod antè jeci, redeam, quas ille privatas injurias ultus eſt, quas contumelias in ſuum propriè caput illatas unquam eſt perſequutus? quæ non maledicta concoxit? quas non moleſtias devoravit? illudebatur paſſim, obiter pulſabatur, canibus Calvini, Calvino Caini nomen imponebatur, Calvinus Lucianus perverſiſſimo Anagrammate vocabatur, famoſis libellis inceſſebatur: interea nullo caſu fractus, nulla debilitatus hominum improbitate, quoties ei novus aliquis turbo imminebat, cum hoc dicto animum componebat: Hoc quoque patienter, inquit, ferendum eſt: O dictum verè aureum, eoque digniſſimum viro, qui tot viderat ventos, tot expertus erat procellas, tot inſtantibus periculis non ceſſerat, quem jam turpe dictu fuiſſet graviora paſſum, & non bonis rebus duratum, neque ſpe, neque metu, nec ullo ſuo tempore hactenus declinatum propter flagitium neſcio cujus feroculi, hunc ſibi adverſarium deſtinantis, ut ex eo etiam victus inclareſceret, animo labi, de ſtatu dejici, clavum de manibus amittere, totque victorias uno ſimul omnes jactu profundere. Huc accedit, quòd non modò fratres validiſſimè diligebat, quæ nunc virtutis noſtræ ſumma eſt; ſed etiam inimicos, à quibus majorem in modum violatus fuerat, in amicitiæ redintegrationem admittebat ultro, cavebatque poſt illa ſedulò, ne coëuntis gra-

tiæ

tiæ cicatricem aliqua offenſio reſcinderet. Privata hujus rei argumenta non deſunt, utinam verò publicum exſtaret nullum! Non ille tuum, GENEVA, decus, præſidium ille tuum, cœli depoſitum, ac totius urbis quidam veluti parens à te fuiſſet amiſſus, quid autem id, quod res eſt, commitigo? non, inquam, per ſummam contumeliam ſummumque nefas conſceleratorum quidem, quorum ſæpè factio prævalet, inſtinctu, ſed mœnibus tuis ejectus fuiſſet. Quod ita permiſſu arbitrioque divini Numinis equidem contigiſſe reor, nec modò ut ingratiſſimæ factionis labem totius poſtea populi deſiderium elueret, majorque laus cupidè revocantium foret, quam labes fuerat ejicientium, ac non retinentium ſtupor, cùm ii etiam qui præſentem oderant, ſublatum ex oculis requirerent: verùm etiam ut hinc ei duplex naſceretur occaſio, quâ ſplendidum & in abitu patientis & in reditu placabilis animi argumentum ac luculentiſſimam ſignificationem daret. Nam qui tale tamque atrox vulnus poſt tot beneficia, non privatim, ſed publicè, non in aliquo diſtrictu, ſed in oculis totius Europæ ſibi ad actum non ulciſci animum induxerit, non calceorum pulverem incutere, non anathematum fulmina vibrare, non ſcripto ſaltem caſtigare, quod ei tam fuit in promptu, eum oportuit vel minimè fuiſſe iracundum, vel ut maximè talem fuiſſe largiamur, altiore ſpiritu animum rexiſſe, ac erumpentem in re juſtiſſima ſtomachum Chriſtianæ patientiæ quibusdam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

veluti frænis ac lupatis compeſcuiſſe. At hunc dolorem fortè preſſit ac diſſimulavit, atque hanc vindictam in tempeſtivum tempus diſtulit. Non ita: cur enim revocantibus iis etiam, qui fugaverant; iis etiam, qui fugientem non reprehenderant, aſſenſum præbuiſſet? cùm Argentina veluti ſuum ambabus ulnis complexa foveret ac ægerrimè demitteret, cùm opimæ undique conditiones invitarent, ac ſplendidioris vitæ fructum præberent, adeo ſui affectus in hanc Eccleſiam retinentior, quàm illatæ injuriæ atrocis memor fuit, ut nihil metuens, quod metuendi tamen locus erat, ne veterem injuriam ferendo novam invitaret, non modò abſens pro Geneva ſcripſerit, ſed etiam publicis literis accitus priſtinæ ſeſe ſtationi reddiderit. Quod profectò ſibi nunquam imperaſſet, niſi & injuriarum & opum contemptor peræquè fuiſſet: illas enim non alibi majores experiri, has verò majores, quàm hic, ubi ubi pedem fixiſſet, nanciſci potuit: ſed illas pro ſua patientia oblitus, has etiam pro ſua ſumma modeſtia oculo irretorto ſpectavit. Modeſtiam cùm dico, virtutem illam dico, quæ cæteras omnes in ordinem cogit, quæque totum Calvini animum ita penitus occupârat, ut ei propria, perpetua & veluti ſua fuerit. Hæc virtus utinam intelligeretur! non aliunde meliùs intelligi Calvinus, ac æſtimari poteſt: modus enim in omnibus regnat. Hinc factum eſt, ut ab apocalypſi Apocalypſeos perpetuò ſibi temperaret, quo tamen argumento, qui ſtudent ingenii ſui vires

explicare ſupra modum delectantur: Quid autem illi verecundam & ſobriam ubique ſapientiam conciliavit, quæ ſibi terminos in Dei verbo pangit ac deſtituit, quæ nihil heterogeneum admiſcet, non lignum, non calamum; ſed auream & pretioſam pretioſo fundamento doctrinam immolitur, nihil ingeniorum voluptati luſibus Allegoriarum, nihil prurienti ſeculo importunitate diatribarum indulgens? modeſtia. Quid illam ſtyli munditiem nec fuſam nimis nec nimis aſtrictam, nec aridam, nec diffluentem, non maculoſam, non turgidam; ſed pudicam & ſani coloris? modeſtia. Quid illam in corporis cultu, ſupellectilis inſtructu, totaque vitæ ratione frugalitatem, non imbalnitiem ſordidam, non elegantiam curioſam, quid illud grave non ſuperbum? (nam gravitate nunquam intumuit, familiaritate nunquam eviluit) quid illud ſeverum non vultuoſum, ſine ſupercilio, ſine naſo? modeſtia. Quid illam rei familiaris curam nec anxiam, nec nullam, illum in copia & inopia æquabilem animum? Quid Calvinum denique, cùm interea non deeſſent ipſi præclara ſchemata, quibus diſceſſum prætexeret, non honeſta nomina quæ votis ad compendium properantibus imponeret, quid illum inquam, Genevæ tenuit? ut vel propterea optimam virtutum adametis, eadem illa modeſtia. Sic eſt omnino. hæc virtus & illum toto vitæ tractu comitata eſt, & ad ultimum uſque vitæ terminuum perſequuta. Quod enim univerſa ejus ſecta, ut ita loquar, & inſtitu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

& inſtitutum vivendi ſatis oſtendit, hoc inſigni documento ſupremis tabulis moriens comprobavit, cùm bona, quæ vix trecentos aureos æquarent, ſuis hæredibus reliquit. Quantas interim copias ille, quantas opes coëgiſſet, ſi rerum fluxarum ſitiens animus contigiſſet? Neque verò impenſiùs ambitioni ſtuduit, cùm ita Collegio ſuo perpetuò præeſſet, qui locus ei propter dona planè ſingularia ultro concedebatur, ut quotannis abdicari hac præfecturâ poſtularet. Quò magis mirari decet hunc modeſtiæ ſuccum per omnes ejus vitæ venas diditum veluti transfuſumque, cùm interim ad excelſa non ingenium, non ſpiritus, non occaſio defuerit. Eum certè in tanta gloriæ materia tam ſui deſpicientem fuiſſe, tot à Deo muneribus tam largiter cumulatum ſibi multò ſemper minùs tribuiſſe, quàm tribuebat fama conſentiens omnium punctis atque ſuffragiis: & cùm tot adeſſent cauſæ ſibi placendi, tam frugi animam & ab omni typho alienam æquabiliter oſtendiſſe jure à nobis inter viri laudes ultimo loco, ſed ut faſtigium & apex divinæ in eo gratiæ commemoratur. Nunc enim tempus eſt, ut ad alterum propoſiti jugum,in quo me vindicias Calvino paraturum recepi, oratio mea perveniat. Quid autem dixi, tempus eſt? imò jam præteriit, niſi veſtra benignitas prolixius altero tanto ſpatium indulgeat. Quod per ego vos urbis totius, quæ per Calvini latus petitur, decus, per innocentiæ læſæ præſidium, per Iuſtitiam veſtram, quæ hic agitur, Viri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Optimates, perque illius viri memoriam, cui tantum Eccleſia debet, obſecro & obteſtor, date mihi vos adhuc, ut hactenus feciſtis, Auditores, dum Calvini virtutes adverſus Grotii calumnias defendo: quanquam profectò ejuſmodi virtutes arrodi non poſſe citra calumniam vel me tacente quivis intelligat. Sed ne quis fortè dicat nos hodie Calvinum ita vehere laudibus, ut nævos ejus abscondamus, virtutes autem cum intentione magna perſequamur, ecce largimur ultro & erroribus obnoxium & peccatis fuiſſe coram Deo Calvinum, & apud homines eorum quæ ſolent hominibus ei nonnulla contigiſſe. Nunquam potuiſſe labi, nunquam errare, ſi dicamus, vani profectò ſimus nos, vanus ipſe: nos enim, dum ita ſerviremus inſtituto, veritati reluctaremur: ipſe, ſi talis haberetur, doctrinam ſuam proderet, quæ juxta ſacra nos docuit oracula, nullum abſque culpis & erroribus mortalem vivere: Quamobrem, ſi nihil ab eo peccatum eſſet, nihil erratum, hoc certè jam peccavit, erravitque maximè, quòd contrà docuit. Suos igitur nævos habuit, quanquam in doctrina ſua nihil penitus mutavit, (quod rarum eſt in eo præſertim, qui tam multa ſcripſerit) ſuis etiam ille cupidinibus reſponſavit: ac, ut amplectar omnia breviter, homo fuit, adeoque, ut vel hinc laus ei ſuccreſcat, quæ nulli cæterarum poſtputari debeat, hoc ipſe agnovit, præ ſe tulit, profeſſus eſt palàm, quæ ſincera imperfectionum agnitio, ut loquar cum Hieronymo, perfectionis in hac vita

vita noſtræ ſumma eſt. Hinc igitur adeo nullum divina in eo gratia detrimentum patitur, ut incrementum capiat. Quippe, ſicut in pictura lumen non alia res magis quàm umbra commendat, ita Dei gratia meliùs nitet, ac luculentior exiſtit, quando in media infirmitate, ut cum Paulo dicam, perficitur. Cùm verò ita rerum natura & conditio vivendi ferat, ut nihil merum ſimplexque viſatur, & virtutes in vitiorum quodam quaſi collimitio poſitæ, contagionis aliquid ex eorum vicinia trahere ſoleant, annon decebat Grotium, & ſi qui Grotiani ſunt, quod in Calvino ad ſtomachum ſuum non faciebat; vel omittere intactum, vel tot ac tantis, quæ fulſerunt in eo, Dei muneribus condonare? At iſte propter nonnulla, quæ putat infirmitatis humanæ documenta, geſta Dei per Calvinum labefactare, cœlique adeo luminibus novus gigas, terræ filius, obſtruere molitur. Enimvero magnorum virorum plerumque magni errores fuiſſe perhibentur, ſive quadam lege naturæ, ut quo quisque incitatiore curſu contendit ad ſcopum, eo, cùm abripitur extra lineas, immaniùs exerret, ſeu potiùs ita diſpenſante illo, qui corda hominum temperat, ut inſignia ſpiritus dona inſignibus carnis infirmitatibus veluti prægravata, nullo ſuperbiæ afflatu vitientur: quod interea ſolet optimus quisque benigniùs interpretari, & oppoſitu virtutum vitia compenſantium præmollire. Cur iſte igitur & multa & ingenti virtute inſuper habita, neſcio, quæ delicta, non aliter, quàm ut in homine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

omni prorſus virtute vacuo inſectatur? ſi tamen delicta dici vel minima debent, quæ primò quidem non culpanda, deinde laude digna denique talia eſſe, ut ſi aliter ſeſe Calvinus comparâſſet, majorem daturus fuerit calumniæ locum, (adeò quicquid egeris nunquam hæc bellua placatur) hæc inquam tria niſi neceſſariis rebus addixero, vir eſto Grotius, & hedera ſequaci caput impedito cum ſua illa voce truculenta, SERVETI exuſtorem Calvinum fuiſſe, ſpiritum Antichriſti non modò ad Tiberin, ſed ad Lemannum lacum apparuiſſe &c. reliqua tranſeo, quæ ſunt eâdem percuſſa formâ. Primùm igitur Serveti exuſtorem facto ad contumeliam nomine, ut conflet invidiam, qui Calvinum appellat, quid vult ſibi? non audiet à nobis carnifex, qui malum non expungimus malo, ſed quin illi adfuerit animus tortor ac domeſticus exercitor occultum quatiens flagellum non dubitant, qui quo pacto exceſſerit è vivis, cauſatus loquelæ difficultatem non ignorant. Serveti exuſtor Calvinus fuit? etiam: ſed illo igne quem Dominus in terras miſit. & ejusdem occiſor fuit, quem non Petri, ſed Chriſti gladio peremit. Serveti tamen exuſtor fuit? fuerit quæ invidia? & Hercules monſtrorum domitor fuit Servetum exuſſit. Vah! quale quantumque piaculum & nefas! Nunquam in cineres patrios minxit, nunquam triſte bidental movit, non Dianæ Templum flammis crepitantibus dedit, non Eccleſiam, non patriam prodidit, non certè niſi meliori de causâ

quàm

quàm Grotius exulavit. Servetum exuſſit, hoc eſt remedio triſtiori, cùm alia non reſponderent, ulcus deploratum & inſanabile, quod Chriſti corpus depaſcebatur, etiam ferro & ignibus abſumpſit. Sed hoc magiſtratui permittendum fuit omnino: fuit omnino. Quid Calvinus? an ipſe ſuis manibus hunc rogum inſtruxit? an hunc ignem ſuſcitavit? an inflavit? an facem rogo ſubdidit? Hoc intellectu ſi Calvinum Serveti exuſtorem vocat, contra totius hiſtoriæ fidem, contra omnium ſcriptorum teſtimonia, contra Patrum veſtrorum conſcientiam, contra propriæ latratus ita eum vocat, qui, quod ſui muneris erat, hoc egit, ultrà nihil? nihil magiſtratui ſatis per ſe ſapienti ſuggeſſit, nec hanc in publico cauſam dixit, ac ne pro concione quidem ad populum, apud quem tamen plauſibilius argumentum vel quod magis ad facundiam explicandam lenocinaretur, dari nullum potuit, ſed cauterio inuſtam conſcientiam invictis rationibus expugnavit, non aliter exuſſit. At exuſſit enim, qui ut exureretur author fuit: nam ita Grotius loquitur. Fidem hominum! ſcilicet non ſatis fuerat Calvinum toties inſimulari, quaſi peccati Deum authorem faceret, quòd eum invigilare ac intereſſe peccatorum etiam rebus, & nunquam velut inſinuatis manibus otiari doceat: nunc etiam in eadem nomenclatura ſtruuntur inſidiæ: Calvinus author fuit. An exurendum cenſuit? an in Senatu ſententiam dixit? an de genere ſupplicii verbum fecit? Author fuit ut convince-

retur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

retur prodigialis atquè immanis hæreſeos, huic ille rei caput fuit: exuſtionis cauſa Servetus ipſe, Magiſtratus author fuit: cujus authoritatem ac judicium non jam extra ordinem, ſed pro ſui ratione muneris Calvinus poſtea comprobavit. Quod ſi Grotius ne magiſtratui quidem Chriſtiano licuiſſe vult, nam quis eum iſtò deſtinare non videt? ſatis à Calvino Bezaque defenſus Ampliſſimus ordo eruditiſſimis Theologorum Britannorum,apud quos hæc pugna fanaticorum flabello integraſcit, lucubrationibus etiamnum abſolvitur. Ad fontes illos adeat,qui volet, quos digito intento monſtramus, à nobis hoc unum audiat, Magiſtratum Genevenſem tunc temporis oſtendiſſe, hodieque oſtendere viros in Ordine ſuo, qui Grotio ſi non rei antiquariæ notitia ſuperiores, ut nec forſitan verſus feliciùs tornarent, illi enim laureola in hoc muſtaceo debetur, Legati certè partes meliùs impleant, Politica momenta dexteriùs librent, Codicem ſacrum reverentiùs tractent,nec ad Ius Iuſtinianænum flores contenti ſpargere, Codicis utriusque fundum percolant, fructusque ingenti copiâ provocent. Hos in cauſa Servetiana & ſimilibus parum juris & æquì prudentes fuiſſe, aut non ſatis diligentem proviſionem adhibuiſſe ii ſoli dicent, à quibus non intelliguntur. Sed in Calvinum tota derivatur invidia, quem profectò liquet non modò reprehenſione vacuum omni, ſed etiam, quo erat conſtitutus loco, præcipuâ laude dignum facinus deſignaſſe, quod

ſequen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

ſequentis calumniæ depulſio docebit ampliùs. AT de Trinitate non bene ſenſit Servetus, fieri poteſt, inquit Grotius, facilis enim lapſus in rebus adeò ſupra humanum captum poſitis: Fieri poteſt, inquit. Adeon' res rediit, ut, quæ non in aliquo angulo geſta ſunt, ſed in oculis hominum & luce publica poſſe fieri dicat, omnino fuiſſe nolit? Rem non ignorat, ſed fortè non malum Serveti ſenſum libenter ſuſpicatur, qui lubricum in hoc argumento & Serveti Socinique ſeminibus gravidum pectus ubi non detexit? Cur verò in re ſupra humanum captum adeò poſita Servetus animo tam deſtinato & indeclinabili non modò Eccleſiæ Genevenſi, ſed orbi Chriſtiano univerſo furores imputavit? Nam hic Geneva & Roma in iiſdem partibus, & quicunque Deum in Trinitate unum adorant, quem ſceleſtus ille ore blaſphemo Cerberum tricipitem appellitavit. O Tartaream vocem! ô animam quovis afflatu peſtilenti, quovis ex inferno exhalante ſpiritu tetriorem, dignamque prorſus igne inextincto, & mortis immortalis flamma torreri ſempiterna! His ergo ille blaſphemiis, ut nunc perjuria, & imminentia Reip. diſcrimina, & latiùs differendæ contagionis metum omittam, non erroribus dico, ſed blaſphemiis in Deum horrendis, cùm ſolâ modeſtiâ vitam redimere potuiſſet, poſtquam fruſtra Calvinus ei ad meliorem frugem colligendo repetitis vicibus ac longo temporis ſpatio ſe totum excuſſit, adhibuit, impendit, nec hilum profuit, juſtum Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

magiſtratus interventu judicium, iiſdemque blaſphemiis ac impietate Grotii deſideria præſidiumque meruit. Quem Calvini hoſtes acerrimi ob manifeſtam blaſphemiam capitali ſupplicio dignum exiſtimârunt, judice Grotio, æquiſſimo illo religionum arbitro ſcilicet abſolvitur. Quem Buceri pectus mitiſſimum dignum eſſe qui avulſis viſceribus diſcerperetur, quem Bulingerus propter blaſphemias Genevenſibus ab ipſo Deo traditum, quem illa ovicula Melanchton dignum quem Veneti fugiant, abjiciant execrentur, pronuntiavit, hunccine Grotio ita gratioſum fuiſſe, ut odii æſtu, igne veluti quodam incenſus, non modò Calvinum eidem, quo Servetus punitus eſt, ſupplicio addictum velit, ſed etiam eum atrociſſimi ſtyli quodam veluti ferro flammaque perſequatur? Tu, tu inquam, ſæviſſime mortalium, non devotum Serveti caput petiiſti, ſed Calvini nomen caſtiſſimum telorum ignitorum jactu violaſti. Tu Calvini exuſtor fuiſti, cùm non Sanctæ, dico, ne quis aliorſum accipiat, ſed Almæ ac benedictæ viri memoriæ notam inurere fruſtra ſed voluiſti. Tu non modò Calvini, ſed piorum omnium ejus doctrinam ſub placida Principum umbra profitentium interfector fuiſti, cùm ut eadem in eos, quæ deſignata hic in Servetum fuit, pœna ſtatueretur, conſiliator & author exſtitiſti. Sed neque magis conſiliator placebis, quàm conciliator unâ mutatus literâ placuiſti! Perge porrò, ſi quid habes, proferto. At Serveti exuſtor, inquit, in hoc

argu-

argumento Trinitatis non ſatisfecit omnibus. Credo equidem! ΟΥΔΕ ΓΑΡ Ο ΖΕΥΣ. Nunquam ita feliciter actum eſt cum rebus humanis, ut meliora pluribus placerent, nedum omnibus optima. Non Sorbonicis, non Lutheranis ſatisfecit, à quibus hæreticarum opinionum vel Arianiſmi accuſatur. Accuſatur, inquit, benè eſt: nam quis inſons fuerit uſpiam, ſi accuſaſſe ſufficiat? Vrendus ergo fuit. Quò tibi mens, Hugo, antehac recta, quò ſeſe tam præcipiti ruinâ flexit? Accuſatur, ergo urendus O duram legem! quæ ſi tibi dicta fuiſſet, ô bone, non tu ſicca morte, non tuo fato periiſſes: Accuſatus perdiu vixiſti, tutus ab igne, non tutus à frigore, quod non modò à Patria, ſed & ab iis apud quos, & ab iis à quibus legabare, ſatis adurens ac penetrabile ſenſiſti. Sorbonicos novimus, novimus & Lutheranos, qui majori ſacroſanctæ Triadas reverentia tenentur, quàm ut Calvinum certè ob ea, quæ de Trinitatis myſterio aureæ antiquitati apprimè conſentanea docuit, exurendum putarent, quod Grotius fingit fore, ſi Calvinus in judices incidiſſet, apud quos tanta eorum fuiſſet, quanta ipſius apud Allobroges fuit authoritas: ita enim Geneveuſes ornat Allobrogum vocabulo, quo aſtu neſcio, id certè ſcio, Calvini authoritatem apud Allobroges nullam fuiſſe. Nec apud Allobroges accuſatus fuit Servetus, apud nos fuit, idemque convictus: alibi gentium accuſatus Calvinus fuit, & idem vindicatus. Qui Servetum accusârunt, confiten-

tem habuerunt reum, qui Calvinum pernegantem, contradicentem, crimen hoc negatæ Trinitatis avertentem, diluentem, ac ut in atroci calumnia graviter expoſtulantem. Nunc autem ut pateſcat ingenium calumniæ, quæ, quoquò te vertas, inſidias parat, oro te, fac longè aliter, planéque contrarium in modum ſeſe Calvinum adhibuiſſe, fac Serveti miſertum, fac errores, fac blaſphemias pertuliſſe, adeóque Iudices non modò ut aliquid de pœnæ duritie remitteretur oraviſſe, pro eo ac fecit, verùm etiam, ut homo ſacerrimus impunè dimitteretur, exoraſſe. Quid jam putas-ne invidiæ ſatisfactum eſſe hoc pacto, quæ mille nocendi artes & opportunitates adinvenit, & cùm hac non ſuccedit, continuò aliâ rem aggreditur viâ? Non jam dicerent, Calvinum Serveto nimis propitium ejusdem olere impietatis venenum? qui, cùm poſſet in ipſa radice lethale virus extinguere, ut emanaret latiùs & liberiùs graſſaretur, laxatum è carcere monſtrum in Eccleſiam, & in vineta Domini quendam velut aprum Calidonium permiſiſſet? hoc profectò Grotius nunc diceret multò commodiùs, cùm præſertim eum dogma de Trinitate ſic ediſſeruiſſe, ut non ſatisfecerit omnibus, adjiceret. Ac ne Grotio quidem hac in parte ſatisfecit, opinor, quando multis Scripturæ locis hoc myſterium tremendum, certè pluribus quàm vellet Grotius eximius ille veteris inſtrumenti temerator, licet non omni bus quæ ſolent eo ᴅiè trahi ſed perperàm, comprobavit-

Cavit

Cavit enim ſedulò ſinceriſſimus Interpres (hæc enim ejus veriſſima præfatio à nobis uſurpari ſolet) adverſus Iudæos potiſſimùm ne locis non firmiſſimis uteretur. Fortioribus, inquit, nodis conſtringenda eſt hæreticorum impietas: prudenterque ſubtimuit, ne propter falſa vel infirma veris & fortibus fides adimeretur: atque ita, ut hanc ejus laudibus coronidem attexam, partem Symboli, quod adſciverat priorem SINCERE' ET PROMTE' inſignitè nobis conteſtatam reliquit. Nam quid eo ſincerius interprete dici vel animo informari poteſt, qui tum quoque læſæ Trinitatis, quia paucioribus eam locis affirmabat, reus peragitur, cùm ob debellatos Trinitatis hoſtes plurimùm invidiæ ſuſtineret, ac nihil jam proclivius eſſet, quàm ut ad Scripturæ interpretationem ſeſe comparans victoriæ ſuæ faveret ac ſerviret affectui, adeóque loca omnia, quæ ſollicita veterum pietas in Arianos congeſſerat, cupidè noſter ad hunc in Serveto redivivum errorem jugulandum accommodaret, quaſi toties victor denuò exſtiturus. Ille autem probè ſibi conſcius nihil magis officere Scripturarum intelligentiæ quàm ſtudia, parùm ratus viciſſe alios, vicit ſeipſum, & quaſi cum Serveto nunquam dimicaſſet, ita ſcripſit, ut nihil cauſam ſuam potiorem facturus admiſceat, nihil quod præſumptæ opinionis etiam veræ nimius amor, quidlibet ex quolibet excudens pro ſuo commodo ſuggeſſerit. Quod utinam cæteri Scriptores æmularentur, ſaltem quotquot ad Sa-

crarum literarum interpretationem animum appulerunt! Nam de conditoribus Hiſtoriarum & Annalium res eſt meridiana luce liquidior, eos nihil penſi habuiſſe, dum populo imponerent, partibus prodeſſent, ac ſuis Pontificibus placerent, quas docuiſſent fabulas, pias crypſeis paſſim adhibuiſſe, ne quid Romanæ Curiæ minùs arrideret, non aliud ſibi negotii datum credidiſſe. At eos certè qui Sacra tractant oracula decebat omninò ſeponere affectus, & propriis rationibus ablegatis vacuum præjudiciis animum ad rei Divinæ commentationem adjicere, Dei ſenſum expectare, non extorquere alienum, vel privatum ſupponere, in unius Dei ſe diſciplinam dare, conſcientiæ tantùm velificari, non ingenio, non famæ: non hypotheſi ſuæ morigerari, non ſervire utilitatibus, non inſtituto, ſed uni vacare Deo, uni perpetuò litare veritati. Quod interea ſic raro uſu venit, ut in Politicam tranſire Theologia, & utilitas non modò juſti, ſed etiam veri mater eſſe videatur. Planè ut Cato, quia id valdè volebat, delendam Carthaginem crebrò cenſebat in Senatu, & hoc unum tum quoque reſpondebat, cùm de re longè diverſa ſententiam rogaretur: ita noſtri Catones ac Cenſores delendam eſſe Genevam, tollendos hæreticos, in ſuis ad libros ſacros commentis, non enim dicam commentariis, ubique pronuntiant, etiamſi tale nihil ab iis locorum in quibus verſantur interpretatio requirat. Nempe multitudine tueri ſe volunt argumentorum,

qui

qui pondere ac vi nequeunt, ut quos ratio deſtituit, numerus defendat. Contra Calvinus non è Scriptura cauſæ ſuæ adjumentum petiit, ſed cauſam Scripturæ ſuam fecit: non Sacros authores vexavit, ut in adverſarios quendam velut exercitum teſtimoniorum conflaret, ſed paucis electisque militibus, Gedeonis exemplum, non Xerxis æmulatus, longè feliciùs meâ quidem ſententiâ decertavit. Multa quæ videbantur fore ſuis hoſtibus opportuna, non ideò quaſi falſa ſprevit: multa quæ videbantur idonea cauſæ ſuæ affirmandæ, non ideò quaſi vera ſumpſit: nonnulla ſibi nocitura in ſpeciem, tamen adſtruxit, idemque alia,quæ ſuis rationibus apprimè conducerent,omiſit. Non enim rumores antè ſalutem poſuit: ſic rem divinam reſtituit. Non invidiam ita horruit, ut eam relicta virtute placaret, non Calumniam ita reformidavit, ut eam cum Veritatis jactura propitiatam vellet. Quod ipſum abſque nota non abiit: nec mirum: Nam Invidia & Calumnia Diaboli Patris ingenium reſipiunt: ſi reſtiteris, fugiunt, contemptæ magis inardeſcunt. Luctari tamen cum his monſtris Calvinus maluit, quàm Veritatem officioſo adjuvare mendacio, & bono ſcilicet piæ fraudis dolo fulcire: quaſi non ipſa ſuis opibus polleat, quaſi parùm ſuis viribus potens adverſariæ Vanitatis artibus velut æmula indigeat. Quod fuci genus nec Platoni diſplicuit, nec Origeni, nec horum dogma inſequutis, nec fortaſſe Grotio, quod & Hieronymus Ruffino, & viciſſim Ruffinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

nus objicit Hieronymo. At Calvinus Auguſtini ſententiam penitùs amplectitur, qui, nullâ eſſe utendum ſimulatione in epiſtolis ad Hieronymum amœbæis legi profectò digniſſimis, luculenter docet, non ſolùm ob eam cauſam, quam ille ſanè gravem adducit, ne ſi ſemel in Chriſtianorum literis ſuboleat mendacii ſuſpicio, nec iis habeatur fides, quorum authoritatem omnibus modis indubitatam eſſe oportet, ſed etiam quod nihil ſit à vera pietate alienius, quàm plaſten eximium, & catum mentiendi artificem agere. Loca igitur ea Calvinus, quæ magis œconomicè, ut cùm veteribus loquar, quàm candidè myſterio Trinitatis affirmando fuerant adhibita, non adhibuit, cùm præſertim Iudæis hominibus opportunum calumniandi locum darent. Sed hoc ipſum dedit calumniandi locum: hinc enim nomen Iudaizantis meruit. Adeò nihil eſt à Calvino tam dextrè ſincerèque deſignatum, quod non, ubi contigit malignus & lævæ mentis interpres, in pravi alicujus conſilii argumentum rapiatur. Quis autem divinus hariolari poterat fore, ut ille tantus Trinitatis aſſertor triumphato Serveto jam poſitus extra omnem aleam, quoad ejus fieri poterat, diſcrimen ſubiret animi malè faventis huic myſterio & Iudæorum perfidæ ſtudentis? quâ tamen invidiâ laborat etiamnum. Quid ſi rationes omnes, prout exigebat propriæ cauſæ utilitas & famæ reſpectus, probaſſet, retinuiſſet, in aciem veluti produxiſſet, ac vel ex illis verbis, quæ leguntur ipſo in limine Gene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Geneſeos, ubi Nomen Dei numero multitudinis cum ſingulari verbo jungitur, quod Hebræis non eſt inſolens, Unius Triados myſterium extudiſſet? an propterea minùs in reprehenſiones malè feriatorum incurreret? Tum eum dicerent præjudicio transverſum agi, & odio Serveti Scripturas ad exiſtimationis ſuæ compendium detorquere. Sic ubi cæremoniarum inania ex Euangelico Dei cultu ſuſtulit, veluti crepundia Eccleſiæ pueritiam picturis ac imaginibus oblectantia, quæ gravitatem adultioris dedecent, ac veluti faſcias, quibus tenera infantis populi obligabantur membra, quæ tamen ejusdem grandeſcentis incremento permultùm obſtarent, propterea religionem noſtram quaſi nimis exilem ac jejunam, vel ut verè dicam, quaſi nimis emendatam, imaginoſi nonnulli faſtidiunt. Quid ſi nonnullos ejuſmodi ritus, quos ille nugas tolerabiles admodum ſcitè dixit, demptis plerisque aliis, horum ſtomacho difficili donaſſet? nunc iſti queruli, cur non aut omnes dempſiſſet, aut non adhibuiſſet omnes, cùm æqua ſit omnium ratio, diſputarent: alii juſto plures, alii pauciores cauſarentur. Sic ubi Romani Præſulis mancipia & fucos, veluti canes ac porcos, latrantes & grunnientes, ac Euangelii margaritas proculcantes acriter interdum exagitat, ſuiſque virtutibus ornatos producit, hoc ingenio difficili, & moribus acerbis nonnulli attribuunt. Quid ſi perpetuò melle dulcior ex ejus ore manaret oratio? an omnibus probaretur? jam Lutheri to-

nitrua huic ſerenitati ac indulgentiæ quis non invidioſè opponeret? jam certè Grotius ad ſyncretiſmum inauſpicatæ concordiæ Calvinum vocaret: hactenus enim ſua Melanchtoni profuit benignitas, ut in cenſum eorum, qui fluctuant in religionibus componendis, à Grotio referretur. Quod ita Calvinus oderat, ut fervidiùs interdum Dei hoſtes agere non dubitaret, malletque durior quàm incertus, immitis quàm nimium tractabilis haberi: Quo immitis elogio hunc divini exercitus Achillem Grotius cohoneſtat. Nec alia res opinor magis hanc ex ejus ſtylo quovis atramento nigriorem calumniam expreſſit, Antichriſti ſpiritum non modò ad Tyberin ſed ad Lemanum apparuiſſe. Bellum verò Pacis legatum & componendis rebus perquàm idoneum, qui Romæ Antichriſti Spiritum apparuiſſe prodit, ut ejus filios hac pellacia demulceat, idemque ad Genevæ lacum contigiſſe memorat, ut ejus doctrinam profeſſos his blanditiis promereatur, & ad ſe trahat mirus artifex: quantum interea mutatus ab illo Grotio, qui moderatum & mitem profitebatur, quem Lutetiæ cùm ego inviſerem, dicere memini, vocemque his auribus hauſi, ſeſe Lutheranum Eccleſiaſten, quo utebatur concionatore domeſtico, ſuis ædibus exegiſſe, quòd adverſus Calvinum immitiùs declamitaret, adeoque ſeſe Charentonium ad concionem Sacram libenter iturum, ſedes modò ſibi pro dignitate attribueretur, quæ quo tandem pacto conſentiant cum iis, quæ modò tam

intem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

intemperanter adverſus Calvinum effutiit, non video: nam & hæc in Calvinum faba cuditur. Spiritus, inquit, Antichriſti ad Lemannum apparuit. Sanè apparuit, cùm nondum POST TENEBRAS LVX nobis affulſiſſet, cùm Epiſcopus & Numinis cultum & libertatem populi temeraret. Sanè apparuit, cùm Servetus, cùm Antonius & ſimilia portenta diras adverſus Chriſtum ſacras & horribiles inceſtè non impunè jactarunt. Sanè apparuit, cùm Allobroges (adeò nos ii non ſumus) adſcenſu mœnia noſtra ſuperârunt fraude ac dolo malo, & in eam rem idoneo Ieſuita hortatore, qui ſingulos in ſcalas voce ac ingentibus pollicitis addebat, omne jus hominum, fas omne Dei abruperunt. Sanè apparuit, cùm bonæ illæ Grotii merces, libri de Antichriſto ſpiritu ejus pleni, & votum pro Pace Spiritu Chriſti vacuum, & Annotationes in vetus Inſtrumentum ac Novum, quibus multa inſunt Antichriſto valdè propitia, in manus hominum noſtrorum pervenerunt. Quod autem ſatagit Grotius ob immitem Calvini ſpiritum, vel magis ob immite Serveti ſupplicium, cujus memoria profectò urebat Grotium Serveti conſecraneum, ad Lemanni lacum Antichriſtum ponere, næ totâ errat viâ, ne toto dicam cœlo: Nam ubi Septimontium? (IVRA extra urbem ac territorium noſtrum & quos montes nigros Dæmonum habitacula Cæſar dixit, nempe cùm Romanus vel Atheiſmus jam olim, juxta Paulum Apoſtolum, vel ſuperiori ævo Antichriſtia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

niſmus, juxta Iohannem Theologum, hæc juga ſiñe ullo cum veritate commercio infuſcaret, quæ nunc Lux alma circumfulgens omni propemodum infamia liberavit) ubi Genevæ purpura? ubi meretrix Regum terræ Domina? ubi Myſterium? ubi ſpiritualis Sodoma? ubi cœlum venale Deuſque? Nimirum fando acceperat, vel alicubi legerat Grotius apud nos pro foribus Curiæ monimentum legi cruſtæ ac laminæ inſcriptum ferreæ ad perpetuam rei memoriam, cujus initium: QVVM. PROFLIGATA. ROMANI. ANTICHRISTI. TYRANNIDE. quæ verba majorum pietas voraginem ſuperſtitionis recens eluctata rotundè poſuit: neque forſitan ignorabat, ægrè hoc tuliſſe Ioſephum Franciſcanum Cardinali Richelio à Secretis & ſanctioribus negotiis, cùm hàc præteriret, ac ejuſmodi laminam luſtraret. Quod nemini tamen credo diſpliceat, qui nôrit, qualia Romæ ſimulachra exſtent ac repræſentamina noſtrorum temporum, quæ ſuis porticibus appingit ille ſcilicet Chriſti Vicarius, dum ſanguine Martyrum noſtrorum veluti re bene geſta exultat. Noſtri tamen illi Martyres non Trinitatem habuerunt, (horreſco referens) pro Cerbero Servetus habuit: illos interea per ſummum nefas mactatos æquiore fert animo Grotius, quàm hunc juſto Chriſtiani magiſtratus judicio rebus noſtris exemptum. Quò tendat, video. Cùm noſtros perſpiceret in Romana ſede locare Antichriſtum putavit è re ſua, ſibi ut viam partibus conciliandis muniret,

ret, ac ne quid haberet altera, quod exprobraret alteri, Antichriſtum Romæ ac Genevæ pariter utrobique collocare: quod melius effici non poſſe credidit, quàm ſi Serveti ſupplicium ab Antichriſti ſpiritu profectum affirmaret. Adeò nos procul ab omni ſumus Antichriſti ſimilitudine, ut ingenioſiſſimus Grotius nihil potuerit commentari magis idoneum, quo nos Antichriſto aſſimilaret, quàm ſi nos in Servetum animadvertiſſe duriùs ac immitiùs diceret: qui Servetus, cùm Chriſtum Deum negaverit, à Chriſtianis omnibus pro Antichriſto exiſtimari debuit. Multùm alienos eſſe nos oportet ab Antichriſti doctrina, cùm ſagaciſſimus mortalis non aliud invenire potuerit, quo nos hac invidia gravaret, quàm quod eſt alieniſſimum. Servetus enim contra Chriſtum ſtetit, quod nemo niſi Servetianus inficias iverit: Calvinus Serveti exuſtor fuit, authore bono Grotio. Quid igitur magis alienum, quàm Calvinum tunc maximè, cùm Servetum Antichriſti ſatellitem oppugnaret, Antichriſti ſpiritu animatum fuiſſe? Satanas à Satana non depellitur, nec ejiciuntur Dæmonia in nomine Principis dæmoniorum, nec Antichriſti ſpiritus Antichriſti miniſtros perſequitur. Fateor tamen, ad lacum Lemannum Antichriſti ſpiritum apparuiſſe, cùm Servetus, cùm Antonius exurerentur, huic illum non dubitem ſpectaculo interfuiſſe, qui mancipia ſua obfirmaret, qui Serveto rabioſos uſque ad vitæ anhelitum furores, & Antonio vocem illam ſuggereret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

quâ in ipſo patibulo cùm Æternum Dei Filium confiteri juberetur, Æterni Dei Filium reſpondit. At idem ajo tunc quoque victorem Chriſti Spiritum in Calvino & aliis ad eundem Lemanni lacum non minùs luculenter apparuiſſe, qui furores illos, qui voces inſanas coërceret, qui ſentinam hæreſium non eſſe Genevam doceret, qui Cœleſtem veritatem adverſus omnia Satanæ molimina ſartam tectamque conſervaret. Quod agnovere multi etiam ex iis, quos adverſarios in cauſa religionis uſurpamus. At Paulus Servita, inquit Grotius, hoc exemplum in authores ſuos facilè recaſurum ſcripſit. Fac ita eſſe: fac virum judicioſiſſimum ita exiſtimaſſe, facinus hoc religioſius quàm prudentius fuiſſe. Quid ſi eum ſua fefellit opinio? quid ſi formidine vana imbutus fuit? quid ſi ſtudio noſtri peccavit? An propterea cum eo faciet Grotius, qui noſtri odio exoletam querimoniam renovat, qui non imprudentiam, ſed crudelitatem vocat, qui denique non exemplum in caput noſtrum recaſurum reformidat, ſed ut Serveti ſimiles ubique gentium tolerentur, & anxiè quidem, ut eum cauſam agere ſuam facilè agnoſcas, efficere allaborat. Quaſi verò neſciamus, nihil eſſe tam præclarè inſtitutum, quod non alicui pateat incommodo, nihil tam dextro pede conceptum, quod ſiniſtrorſum detorqueri non poſſit, ut res humanæ ſunt, in quibus perpetuo bonis mala ſubtexta cernuntur. Quod ſi locum haberet Grotii prudentia, nec in carcerem compingere

fas

fas eſſet hæreticum, nec in exilium pellere, quia pariter metus erit,ne fratribus id noſtris noceat,ubi pro hæreticis exiſtimantur. Id verò potuit meritò ſuſpicari Paulus ille Sarpius, quod & facilè contingere potuiſſe, non equidem negaverim, quæ noſtrorum eſt adverſariorum impotentia: ſed id ipſum non niſi perperam & immeritò Grotius repoſuit, poſtquam nihil tale contigiſſe nos eventus docuit, (nullibi enim accepimus propter exemplum quod in Servetum hæc Reſpublica ſtatuit captatam fuiſſe anſam fundendi ſanguinis, aut ullum ex noſtris propterea capite luiſſe.) Quid ſi contigerat? non ideò pœnitenda res erat, quia non per ſe contigiſſet aut ex ipſius natura rei, ſed ex accidenti hominum improbitate,qui nunquam prætextu carent, quique adeò non minorem nobis inſultandi occaſionem nacti erant, ſi Servetus impunè tuliſſet. Nolit ergo authore Sarpio ſe tueri Grotius, cùm ille tametſi Serveti ſupplicium reprehendiſſet, à nobis reprehendi non mereatur, quia præ affectu & ſollicito timore, qui affectum comitari ſolet, ſubtimere potuit, ne quid ſimile nobis impenderet: hic autem, poſtquam experientiâ doctus eſt nihil tale timendum fuiſſe, hanc movere Camarinam niſi malo animo nequit: Sed neque ſupplicium Serveti Servita ille reprehendit, & ejus verba infideliter admodum Grotius recitavit. Non ille tam præcisè, non tam crudè loquitur, quàm Grotius loquentem facit: Nam & hæreticos non eſſe unius generis obſervat,

ſervat, cùm hoc nominis latiùs interdum, interdum anguſtius accipi ſoleat. Utinam verò cum eo ſemper Grotius faceret! Non ita fœdè Romanæ Curiæ palpum obtruderet. Omitto, quod in quadam ad Farellum epiſtola Calvinum ait gloriari, effecturum ſeſe, ſi quid ſua valeret authoritas, ne Servetus vivus abiret. Non immeritò nobis ſuſpecta eſt Grotii fides in Calvini negotio, nec minùs quod exſtare manum ejus Lutetiæ narrat: quippe unde novit Grotius tam certò Calvini manum? Hiſtoriam vitæ Farelli manuſcriptam nuper luſtravimus, ubi,quæ cum eo Calvinus geſſit, ſedulò memorantur, ſed nihil omnino quale Grotius prodidit. Quod interea ſi Calvino ſemel excidiſſet, excidiſſe imprudenti, nec ultra quicquam dicere Grotius debuit, cùm non ſemel,ſed ſæpè contra ſcripſerit, omnibuſque niſi ſponte cæcutientibus mero meridie ſit manifeſtius, emendatum primò Servetum,deinde mitigatam ejus pœnam Calvinum exoptaſſe. Quamobrem igitur tot publicis fidei certiſſimæ monimentis neſcio quam Calvini, ut arbitratur, manum Grotius prætulit? Illud etiam ſilentio prætereo, quod de coquo accuſatore ſubmiſſo, ne Servetus vivus abiret, invidiosè ſubjicit. Coquus Calvini profectò ſi Domini gulam habuit, parùm erudita gula fuit. Gladio Calvinus occidi potuit, gulâ non potuit. Coquum ſi quando habuit, ad neceſſaria vitæ tolerandæ præſidia, ut idoneis fulturis obviorum & parabilium ciborum corpuſculum ſuſtentaret, habuit,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

non ad lautitias & ſcitamenta, quibus genio indulgeret, aut in cute curanda operaretur. Si quis addubitat extraneus (nam quis in Iſraële tam hoſpes, ut ſolus Calvinum ad exemplum temperantem fuiſſe non ſciat?) ejus iconem adeat, pallidulum os mihi ſpectet, hoc ſatis faciet, ut ſtudioſiſſimum ſed non cupediarum, nec niſi librorum helluonem intelligat. Non pinguem, non adipe fartum, quod monachis attribui ſolet, ut in adagium abierit, non rubricato in puſtulas vultu, non gemmato & quaſi fruticanti naſo, ſed qualem Calvinum oportuit inveniet. Quid autem erat opus accuſatore coquo, ubi tanta erat copia teſtium, & quidem coquo locupletiorum, ubi confitentem reum habebat, qui novis quotidie blaſphemiis cœlum appetebat? Neque verò illud refutare ullius operæ pretium arbitror, quod de Anabaptiſta garrit, quem Calvinus furti convicerat, qui poſtquam exactus urbe ſine permiſſu rediit, fuſtuarii pœnam ſubiit: Pendet hujus rei cognitio à circumſtantiis,quas cùm Grotius ignoraret,miramur meritò, cur judicium interponere ſuum tam libenter audeat. Commentarios libros Eccleſiæ noſtræ ſi conſuluiſſet, fateri cogeretur ſe multis in rebus falſum eſſe. Denique id etiam tranſeo, quod Calvinum ait propter fatum à Melanchtone quendam veluti Zenonem Stoicum habitum eſſe. Amborum libri verſantur manibus hominum ex quibus facilè colligas, nec infenſum fuiſſe Melanchtonem Calvino,neque Calvinum à Melanchtone

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

niſi methodo diſſenſiſſe. Fatum enim quâ tandem fronte poteſt affingi Calvino, qui non modò rem ipſam, hoc eſt, ortam ex cauſarum ſerie naturali neceſſitatem amolitur, ſed ne nomen quidem uſurpare ſuſtinet, quod interea nomen pro dicto ac decreto Numinis æterno ritè ac latinè uſurpari poteſt. Quid eſt nodum in ſcirpo quærere, ſi hoc non eſt? Vnde unde conatur extricare Grotius, quod Calvinum odioſum efficiat, æſtuare tamen & veluti ſudare tanquam in malâ cauſâ, cujus fiduciam induere ſibi non poteſt; omninò deprehenditur. Dignus ille videbatur imperio, niſi imperaſſet: Dignus & Grotius videri poterat, qui Theologica tractaret, niſi tractaſſet. Quàm enim feliciter verſatus eſt in Græcis & Latinis literis, quàm bene de Religione Chriſtiana ſcripſit, paucis exceptis, in quibus libellus ille alioqui non aſpernandus Arminium olet, quàm dextrè de Iure belli & pacis (nam hunc arbitror inter ejus libros optimâ fœturâ natum) diſſeruit, quàm denique in amœniori literaturâ univerſâ ſolers oſtentavit ingenium, tam ſeverioribus animum adjiciens diſciplinis, & linguæ Sanctioris abuſus notitiâ divinos libros infelici doctrinâ, & ingenioſis erroribus fœdavit, religionem Chriſtianam velut à fundamentis convellere inſtituit, pacem dum facere ſatagit inter Chriſtianos, jus belli & pacis Eccleſiaſticæ ſibi non perſpectum oſtendit, ac denique Calvinum citra omnem rationem atrocibus convitiis nullo ſucceſſu laceravit.

Quæ

Quæ cùm ita ſe habeant, cùm neque doctrinæ cæleſtis peritiâ, nec eruditione, aut facundiâ, nec indefatigabili diligentiâ Calvinus parem habuerit, cùm vitiorum acerrimus oſor omnium, omnium virtutum rigidiſſimus cultor exſtiterit, cùm ei nec facilitas morum, nec animi magnitudo, nec injuriarum patientia defuerit, cùm in eo charitas cum prudentiâ, cum lenitate gravitas, manſuetudo cum ſeveritate, modeſtia cum cæteris omnibus quaſi certaverit, cùm denique in eum nihil calumnia, livor nihil, nihil Grotius, nihil Antichriſtus ipſe conjicere potuerit, quod non de facili refellatur: quid ſupereſt? niſi ut Genevam Calvino beatam dicamus, cui præcipuè ſuum illud anagramma debet,

RES PVBLICA GENEVENSIS

GENS SVB CÆLIS VERÈ PIA.

cui præcipuè ſuum illud lemma cum ſymbolo Ieſu juſtitiæ Solis

POST TENEBRAS LVX

ex illo feliciter contractum

POST TENEBRAS SPERO LVCEM

quod veluti propheticum ſuperior ætas uſurpaverat. Immò aliud ſupereſt, nempe ut Immortali Deo gratias perſolvamus, illi Deo, qui & orbi Chriſtiano Calvinum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

neceſſario tempore commodavit, & ſucceſſores deceſſori nec pares nec indecores, huic Eccleſiæ indulſit. Ille nobis, qui ſedemus in Calvini cathedra, qui præeuntem non eodem gradu, ſed eâdem viâ ſequimur, qui non æquis paſſibus magna veſtigia, ſed calcamus, Pacis bonum & non ignobile otium cæteris gentibus inconceſſum concedit. Otium autem? imò bellum, quale Calvinus pertulit. Ille nos (adeò favet) iisdem Satanæ tentationibus, quibus eum expoſuit, exponit. Ille nos iisdem Calumniæ criminationibus, iisdem invidiæ morſibus dignatur. Gaudeamus, exultemus tali conſortio. Hymnum canamus tunc maximè indulgenti Deo, cùm ab hominibus immania maledicta reportamus, ac velut impii, velut hæretici notamur. Calvini manes patimur, cùm licet infinito impares, æquè tamen immerentes iisdem probris oneramur. Hac Proceres iêre Chriſtiani nominis, hac tot Illuſtres Martyrum animæ, hac Heros noſter coronæ cœleſtis hereditatem crevit: hac optimus quisque graditur: hac GENEVA, poſtquam odia mundi meruerit: ſupra mundum immortale brabium conſequetur. Sed ipſam fert animus compellare.

Parva quidem, fateor, ſed quâ non altera major
Cœli muneribus: toto venerabilis orbe,
Charorumque Deo multum celebrata virorum
Nomine, finitimis nimium nimiumque GENEVA

Invidioſa locis, lætum caput exſere cœlo,
Quàm pulchri ſunt ecce pedes in montibus iſtis
Præconum, tua qui ſemper nova gaudia narrant,
Et dicunt, Deus ille tuus, Deus ille tuorum,
Noſtra Sion, quare trepidas? in ſecula regnat.

Dum furit, & toto Mars impius orbe flagellum
Horriſonum quatit, ac triſtes denuntiat iras,
Et nullam dudum celebrata Comitia pacem
Promittunt, niſi quæ blando ſic nomine ridet
Vt mala multa piis bello pejora minetur,
Pax fovet alma tuos & protegit undique cives
Omne genus fœcunda bonis: Pax aurea circum
Arva colit, populumque beat, Legeſque ſilere
Non ſinit, aut frigere Artes: dat jura Senatus
Integer, inque tuis Paſtores ædibus altâ
Voce canunt, Deus ille tuus, Deus ille tuorum,
Noſtra Sion, quare trepidas? in ſecula regnat.

Non benè Calvini tua nomine templa ſonabunt
Cùm precibus pia tecta calent, votiſque laceſſit
Supplex turba Deum, Domino tua vota ferantur,
Qui tibi Calvinos, æternaque nomina Bezas,
Totque alios dederat qui nunc monſtrata piorum
Cœtibus aſtra tenent, puroque in lumine lumen
Æternum adſpiciunt, quod nullæ veſperis audent
Alternare vices, & quem docuere fruuntur
Iam propiore Deo, cœlique volumina calcant,

Non tamen hinc noſtras poſſunt audire querelas,
Nil opus eſt: Deus ille tuus, Deus ille tuorum,
Noſtra Sion, quare trepidas? in ſecula regnat.
Ipſe pater placidis lætum caput exſerat undis
Lemannus repetatque meos in littore plauſus,
Quos etiam pulſæ referunt ad ſydera valles.
Quid mihi cum Româ, Tiberino aut flumine? dicat:
Nil canimus mortale, ſonant mea carmina Chriſtum,
Dumque cano, Chriſtum reparabilis aſſonat Echo:
Attamen & fido debetur gratia ſervo,
Et fas eſt laudare homines, Numenque vereri,
Quod tremit omne genus terrâque marique animantum,
Cui paret Domino ſtellantis regia cæli,
Cæleſtûmque aſſurgit apex, omniſque poteſtas
Aligerûm, Deus ille tuus, Deus ille tuorum,
Noſtra Sion, quare trepidas? in ſecula regnat.
Me pia, me ſequitor ſacris operata Iuventus
Ad Rhodanum, & viridi ſpatiantem in margine ripæ
Audiat excipiens animo mea vota ſilenti
Fuſa tot in noſtram cæleſtia munera terram
Dum celebro, grateſque tibi, Deus Alme, refundo:
Felices nimium colles! felicia noſtri
Culta ſoli, quæ Calvinum videre ferarum
Subdere colla jugo, & cæcam diſpellere noctem!
Vrbs ô chara Deo, quæ magni conſcia ſemper
Numinis, attonitas trahis ad ſpectacula gentes,

Macte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Macte animis! Deus ille tuus, Deus ille tuorum,
Chara Sion, quidnam trepidas? in ſecula regnat.
Sed quantùm afficior non ſicco lumine luſtrans
Chriſtiadum afflictos populos, ubi Martius horror
Intonat, & fratrum mœrentia pectora pulſat?
Non tantùm vos iſte dolor, pia Scotia, tuque
Tota Caledoniis unita Britannia regnis,
Vnita heu! quondam, ſed jam diviſa tot annos,
Tangit enim, quotcunque Dei tanguntur amore:
Ipſa Geneva ſuos miſerè laniata capillos
Virgineas ſparſo fœdavit pulvere vittas,
Indixitque pio jejunia publica voto.
Chriſte fave, nunquam ipſe tuis iraſcere donis,
Ponite dic ventis, & dic requieſcite fluctus.
Iam venti poſuere, ſilet ſtratum æquor, & omnis
Detumuit fluctus: dic blandâ voce Sioni,
(*Sponſus enim es*) Deus ecce tuus, Deus ecce tuorum,
(Ille ego ſum) quare trepidas? in ſecula regnat.
Ipſe tuo faveas operi, populoque gementi
Dexter ades, tua res agitur. Tibi ſacra Geneva,
Suſpecta hæreſeos, mox & rea, peſſima paſſim
Audiat, invidiæ ſcopulus: jactata procellis
Te portum rectore ſubit: merſata profundo
Pulchrior eveniet, mundoque fruetur iniquo,
Tu modò ſemper ama: tantique videbitur omnes
Ferre vices, hominumque minas, Erebique furores,

Donec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Donec in aſtrigeri ſubvecta palatia cœli
Iam dicat, Deus ille meus, Deus ille meorum,
Cur trepidem nihil eſt, æterna in ſecula regnat.

Τῇ ἐν ΜΟΝΑΔΙ παναγίᾳ καὶ ὑπεραῤῥήτῳ ΤΡΙΑΔΙ
δόξα· καὶ χάρις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων Ἀμήν.

F I *N I* S.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

EPISTOLA CALVINI AD LVTHERVM

nondum hactenus edita, cujus ſuprà facta eſt mentio, paginâ 119.

Excellentiſſimo Chriſtianæ Eccleſiæ Doctori,

D. DOCTORI

MARTINO LVTHERO,

Patri mihi plurimùm obſervando.

CVm Gallos noſtros viderem, quotquot à tenebris Papatus ad fidei ſanitatem reducti erant, nihil tamen de confeſſione mutare, ac perinde ſe polluere ſacrilegiis Papiſtarum, ac ſi nullum veræ doctrinæ guſtum haberent: temperare mihi non potui, quin tantam hanc ſocordiam, ſicuti meo judicio merebant, acriter reprehenderem. Qualis enim hæc fides, quæ intus in animo ſepulta nullam in fidei confeſſionem erumpit? Qualis religio, quæ ſub idololatriæ ſimulatione demerſa jacet? Verùm argumentum hic tractandum non ſuſcipio, quod libellis duobus copioſè ſum proſecutus: unde, ſi obiter eos inſpicere moleſtum non erit, tum quid ſentiam, tum quibus impulſus rationibus ita ſentiam, meliùs perſpicies. Horum verò lectione nonnulli ex noſtris hominibus expergefacti, cùm antea ſecuri dormirent altum ſomnum, cogitare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

cœperunt, quidnam ſibi agendum foret. Sed quia durum eſt, vel omiſſa ratione ſui vitam exponere periculo vel concitatis hominum offenſionibus mundi invidiam ſubire, vel relictis fortunis ac natali ſolo voluntarium adire exſilium: his difficultatibus retinentur, quominus certi quidquam conſtitutum habeant. Alias tamen rationes & quidem ſpecioſas obtendunt: ſed quibus appareat, prætextum qualemcunque ab ipſis quæri. Cæterum quîa ſuſpenſi quodammodo hæſitant, tûum judicium audire deſiderant: quod ut meritò reverentur, ita illis magnæ confirmationis loco erit. Me ergo rogarunt, ut certum nuncium data opera ad te mitterem, qui reſponſum ſuper hac re tuum ad nos referret. Ego verò quia & ipſorum magnopere intereſſe putabam, tua authoritate adjuvari, ne ſic perpetuò fluctuentur: & mihi etiam ipſe ultrò expetendum id fuit, negare illis nolui, quod poſtulabant. Nunc ergo, Pater in Domino plurimum obſervande, per Chriſtum te obteſtor, hoc ut tædium mea & ipſorum causâ devorare non graveris: primum ut epiſtolam eorum nomine ſcriptam libelloſque meos tanquam per luſum ocioſis horis percurras, vel legendi negocium alicui demandes, qui tibi ſummam referat: deinde ut ſententiam tuam paucis verbis reſcribas. Invitus equidem facio, ut tibi inter tot, tam graves, tamque varias occupationes hanc moleſtiam exhibeam. Sed, quæ tua eſt æquitas, cùm non niſi neſſitate coactus id faciam, veniam te mihi daturum confido. Vtinam iſtuc mihi, quò ſaltem ad paucas horas tuo congreſſu fruerer, liceret advolare. Mallem enim & longè præſtaret, non de hac quæſtione modò, ſed de aliis etiam tecum coram agere. Verum quod hic in terris non

datur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

datur, brevi, ſpero, in regno Dei nobis continget. Vale Clariſſime vir, Præſtantiſſime Chriſti Miniſter ac Pater mihi ſemper honorande. Dominus Te Spiritu ſuo gubernare pergat uſque in finem, in commune Eccleſiæ ſuæ bonum, 12. *Calend. Februar.* 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

HÆc Epiſtola in Autographo, ex quo deſcripta, ſigillo Calvini muniebatur, in quo Symbolum erat Manus cor apprehendens cum hoc lemmate SINCERE` & PROMPTE`, non tam igitur quòd in manu Dei ſint corda hominum, vel quòd in manus Dei commendari debeat ſpiritus noſter, quod aliquis fortè ſuſpicaretur, qui ſine argumento ſymbolum attenderet, quàm quòd ſcribam in Regno Cœlorum & animo ſincerum & manu promptum eſſe oporteat, integrum corde, opere ſtrenuum, non vafrum in conſiliis, non pigrum in rebus gerendis, quod utrumque ſibi convenire Calvinus manifeſtiſſimis rebus oſtendit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

DAVILA PAGINA 17.

Editionis Lugdunenſis ad Annum D. M. L I X.
id quod pagina 12. hujus Orationis tetigimus,
in hæc admodum verba retulit.

POſteaquam Martinus Lutherus in Germania novo in religione ſchiſmati, & variis in fide opinionibus viam aperuit, Iohannes Calvinus oriundus Novioduno Picardiæ oppido, magno vir ingenio, ſed inquieti, admirabili facundia, vana & multiplici eruditione &c. Et paucis pòſt verſibus. Ita ut Calvinus, qui principiò habebatur homo parvi pretii & ingenii ſeditioſi ac inquietis, brevi temporis ſpatio venerationem ſibi multorum acquiſiverit, ac pro novo & mirabili Scripturæ interprete, ac propemodum pro certo & infallibili veræ fidei doctore habitus fuerit, &c.

Quæ ſequuntur, ideo mittimus, quia nihil pertinent ad inſtitutum noſtrum, & pravis memoriis nituntur.

PAGINA 14.

Diſtichon de Inſtitutione Chriſtiana,

Præter Apoſtolicas poſt Chriſti tempora chartas,
Huic peperêre libro ſæcula nulla parem.

PAGINA 31.

De Fratribus Calvinum turbantibus v. Calv. Epiſtol.

pag.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

pag. 138. Si decima tantùm ex parte ſcias, quam atrocibus probris lacerer, pro tua humanitate ingemiſcas miſeriis, ad quas obdurui, undique me canes allatrant, hæreticus paſſim vocitor, quicquid fingi calumniarum poteſt, in me congeritur: denique me invidi & malevoli ex grege noſtro infeſtiùs oppugnant, quam aperti hoſtes ex Papatu.

Pagina 37.

Bodinus in methodo hiſtor. Sed illud apud Genevates laudabile, ſi quid uſquam gentium, quodque Rempub. efficit ſi non opibus & Imperii magnitudine, certè virtutibus ac pietate florentem: illa ſcilicet Pontificum cenſura, qua nihil majus ac divinius cogitari potuit ad coërcendas hominum cupiditates & ea vitia, quæ legibus humanis ac judiciis emendari nullo modo poſſunt: hæc tamen coërcitio ad Chriſti normam dirigitur latenter primùm & amicè, deinde paulò acerbiùs &c.

Pagina 73.

Melanchton epiſtolâ 157. Inter epiſtolas Calvini. Reverende vir, & chariſſime frater, legi ſcriptum tuum, in quo refutaſti luculenter horrendas Serveti blaſphemias, ac Filio Dei gratias ago, qui fuit βραβευτὴς hujus tui agonis, tibi quoque Eccleſia & nunc & ad poſteros gratitudinem debebit, tuo judicio prorſus aſſentior, affirmo etiam veſtros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Magiſtratus jure feciſſe, quod hominem blaſphemumre ordine judicata interfecerint.

PAGINA 86.

Paulus Servita hiſtoriæ Concilii Tridentini libro 5. Ioh. Calvinus è Serveti nece invidiâ conflatâ, edito libro contendit, in hæreticos à Magiſtratu gladio eſſe animadvertendum. Verum Iſthæc Doctrina pro eo, ac hæretici nomen diverſimodè accipitur ſtrictius aut laxius, varium quoque ſenſum admittit, & qui olim profuit, aliquando graviter nocere poteſt.

PAGINA 82.

Pro foribus Prytanæi Genevenſis inſcriptio.

QVVM ANNO MDXXXV. PROFLIGATA ROMANI ANTICRISTI TYRANNIDE ABROGATISQVE EIVS SVPERSTITIONIBVS SACROSANCTA CHRISTI RELIGIO HIC IN SVAM PVRITATEM ECCLESIA IN MELIOREM ORDINEM SINGVLARI DEI BENEFICIO REPOSITA: ET SIMVL PVLSIS FVGATISQVE HOSTIBVS VRBS IPSA IN SVAM LIBERTATEM NON SINE INSIGNI MIRACVLO RESTITVTA FVERIT: SENATVS POPVLVSQVE GENEVENSIS MONVMENTVM HOC PERPETVÆ MEMORIÆ CAVSA FIERI ATQVE HOC LOCO ERIGI CVRAVIT: QVO SVAM ERGA DEVM GRATITVDINEM AD POSTEROS TESTATAM FACERET.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 15